

valt edidit. Tertius denique CAROLUS PERRAULTIUS de literis, & literatis omnibus in Gallia optime meritus, Poësi deditissimus fuit, quam præ aliis coluit, & exercuit, plura Poëmata conscribens. Edidit præterea Tomos 4. Parallelorum inter Antiquos, & Recentiores, quos ille plerumque prætulit.

ISAACUS NEWTON, natione Anglus, Eques Auratus, & Regiæ Societas Londinensis Præses, novissimæ, celeberrimæque Newtonianæ Sectæ autor, paucis abhinc mensibus obiit octogesimum circiter annum agens. Magnus hic Philosophus, ac Recentiorum in Anglia Philosophorum dux, novum philosophandi Systema excogitavit, Cartesii Systemati quo se opponeret; quod magnam ei & famam, & autoritatem apud suos conciliavit. Hujus tamen Systematis etsi non perfectam Epitomen, brevem saltem ideam aliquam per sua Principia, ac præcipua doctrinæ capita tradere, operæ pretium esse existimavi.

Newtonianæ itaq; vastæ pariter, ac difficilis Philosophicæ doctrinæ summa hæc est. Cùm fabulosum potius, quàm rationi consentaneum sit per Hypotheses philosophari, ut à Cartesio factum; magis ex ipsis claris, certisque Phænomenis, & Experimentis, Naturæ leges deducendæ, quas phænomenis obscurioribus applicando, eorum ratio reddi possit. Naturæ lex Corporum Gravitas est, cuius rationem reddere nequimus. Credendum igitur, Gravitatem, corporibus naturaliter insitam, Motus caussam esse, non verò Motum caussam Gravitatis. Præterea Gravitas in corporibus mutua est; itaut sicuti corpora omnia in Terram suam Gravitatem exercent, ita contrà Terra suam in ipsa corpora Gravitatem exerceat. Imò & omnia corpora sese mutuò petunt, aut versus sese mutuò tendunt. Vis autem, qua versus sese mutuò tendunt, vocatur ab ipso Attratio. Eodem igitur modo, ac Sol in Planetas, hi in Solem gravitatem habent, sive ut Philosophi dicunt, gravitant: Jovis, & Saturni Satellites in Jovem, & Saturnum; & vicissim Jupiter, & Saturnus in suos Satellites: atque hinc etiam fit, ut Luna, & Tellus in se mutuò graves sint. Omnes itaque Planetæ Primarii nedum in Solem, sed etiam inter se gravitatem habent, quod de Planetis quoque Secundariis verum est, qui in Solem gravitatem habent, & Sol in ipsos. Atque hinc pendere ait Newton vim illam, quam Centripetam, & Centrifugam appellat. Hæc autem omnia ex Cœli phænomenis probari afferit.

Ex quibus Gravitatis Regulis (quam majorem, vel minorem esse ait prout majores, vel minores, plures, vel pauciores sunt particulæ, quæ corpus componunt) ostendit, Corpora Cœlestia secundum propriam molem, & gravitatem, motum, & locum, in quo moveantur, obtinuisse, atque in variis Cœli partibus collocata fuisse. Cartesii autem Vortices neque regulis Motus, neque Cœlestium corporum dispositioni, & motui consonare, pluribus conatur ostendere. Novam insuper in sua Optica Theoriam de Coloribus docet, afferens ipsum varietatem non tam à varia corporum superficie, quam à varia radiorum conditione pendere: qui radii cum ex propria natura alii magis, alii minus refractioni obnoxii sint; varios inde colores producunt.

Atque hæc totius novissimæ Newtonianæ Philosophiæ summa est, & ve*luti* Elementa. Quæ philosophandi ratio ne dum per Angliam, sed per Europam fere omnem longe, lateque diffusa est: imo recens philosophandi modus, & norma cunctis ferme Newtonianum hoc Systema visum est. Hinc ingens Newtonianorum numerus, in quo præcipue sunt omnes Regiæ, ac per totum Orbem celeberrimæ Londinensis Academiæ socii. *Introductiones, & Elementa* hujus Philosophiæ scripsit Job. Keill, necnon G. J.'s *Gravesande* sub titulo: *Physices Elementa Mathematica Experimentis confirmata*: atque etiam sub hoc

altero: *Eiusdem Philosophiae Newtonianæ Institutiones in usus Academicos*, quibus accensendus etiam Jac. Hermannus, atque alii, qui omni animi conatu sua hæc Philosophia Naturalis Principia Mathematica propugnarunt. David quoque Gregorius secundum hoc Systema Astronomiam illustravit.

Verum an hoc philosophandi Systema rationi consentaneum sit, Historici non est examinare. Diligentissime tamen examinavit in Regia Studiorum celeberrima Universitate Neapolitana Phil. & Med. Doctor eruditissimus, & in eadem Universitate inter Regios Medicinæ Professores, etiam Primarios, Καθέδραν την Α'εχμα τενεν, NICOLAUS CYRILLUS, seculi hujus Philosophorum Φιλοσοφωτός, nostræ Neapolis decus, & Regiæ Londinensis Societatis, cui nuper adscriptus, ornamentum, meus triginta circiter ab hinc annis in Philosophicis ac Medicis institutionibus Præceptor, quem honoris causa nomino; cuius Vitam in omni literarum genere semper occupatam; Facta, tum in Medicis Consiliis, & Praxi; tum in omni negotiorum genere, summe commendabilia; Doctrinam denique, tum in juvenum in Regia hac Universitate in Philosophicis, ac Medicis rebus institutione, tum per editas Notas, & doctissimas Dissertationes in Ettmullerum in nova hac editione Neapoli facta, Doctrinam, inquam, omnium ore laudatissimam, hic recensere supersedeo; mei namque Instituti non est de Viventibus illustribus Viris agere; de quibus pro meritis agent posteri.

Atque hæc eadem ratio est, cur de Principe generosissimo, Regum optimo, Regnantium sapientissimo, literarum, bonarumque artium omnium instauratore, literatorum Mecœnate, JOHANNE V. Lusitaniae Rege, &c. inter Philosophos Mathematicos ne dum jure optimo locando, sed primas in eis tenere dignissimo, ne verbum quidem hic fecerim. Accedit, quod tanti Regis Vitam contexere, illustria Facta memorare, Virtutes edisserere, Sapientiam enarrare, ne dicam exornare, neque Historiæ hujus Synopsis angustiæ, neque si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum, paterentur. Equidem fateor, tantæ materiæ pertractandæ optimum quemque Scriptorem vix satis esse; verum si mihi Deus vitam, sanam mentem in corpore sano, & ocia dabit, id, etsi non pro meritis, pro virili saltē aliquando præstare conabor.

C A P U T XI.

Philosophi Incertæ Sectæ, vel Novæ Sectæ non conspicuæ Autores.

SA BASILIUS MAGNUS, Cappadox, meritò Magnus appellatus, per plures annos S. Gregorii Nazianzeni Atbentis, & in solitudine comes individuus, Cæsareæ in Cappadocia, quæ prius Mazaca dicebatur, Archiepiscopus creatus est die Junii 14. anni 328. Artanis, ipsoque Valenti Augusto saepe restitutus; multisque exantlatis pro Fide Catholica laboribus, ad meliorem vitam transiit Kal. Januarii anni 379. Phil. Labb. de Script. Eccles. Opera ejus omnia, eruditio-
ne summa, & eloquentia refertissima, Gr. Lat. existant Tom. 3. fol. Parisiis. Prætermis-
sis laudibus, quas Ecclesiæ PP. omnesque etiam non Ecclesiastici
Scriptores affatim in ipsum congesserunt; eas tantum, quas ut Philosophus
promeruit, adnotabo. Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. Basilius Cæsareæ Cap-
padocum Episcopus, re & cognomine Magnus. Jure Christianorum Philosophus,
& Phi-

& Philosophorum Christianissimus dictus est. Erasmus Epist. lib. 28. Epist. 7. D. Basilius vir optimo jure dictus Magnus, sed Maximi cognomine dignior. - - Evidem contumeliam esse judico, Basili facundiam cum quoquam eorum comparare, quorum eloquentiam supra modum admirata est Graecia, juxta modum emulata Italia - - - Agnoscas ibi summam humanae Philosophiae cognitionem, sed nullam prorsus ostentationem, &c. Cave in Vit. S. Basillii p. 262. - - Emetebat in Grammaticis, Rhetoricis, Philosophicis, Astronomicis, Geometricis, Arithmeticis, Physicis, & quibus non? Omnes Gentilium thesauros expilaverat, secretioresque Philosophiae secularisque doctrinæ recessus rimatus erat. - - Ejus in Philosophicis antiquis stylis ejus nitorem, & lenitatem minime vitiabat; nec suavitas, & elegantia Orationis ejus nervosum robur, & evidentiam argumentorum infirmabat. Hieron. Phot. Ell. du Pin. Suid. Rich. Sim. &c.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS, Cognomento Theologus, Nazianzi in Cappadocia natus, qui Athenis circa an. 354. cum S. Basilio operam literis dedit sub Libanio, aliisque sophistis, tantum in literis, pietate, & Ecclesiastica disciplina profecit, ut perfectissimis Graeciæ Oratoribus adnumerari, & Maximum Ecclesiæ lumen, Vas electionis, Thesaurus profundus, & os Christi appellari meruerit. Philosophis etiam accensendum duxi, tum quia Athenis Philosophiae cum D. Basilio, ut diximus, operam dedit; tum etiam quia ejus Opera (quæ plura, eloquentia, & omnigena eruditione refertissima) perfectam redolent Philosophiam; ut de eo testatur præter alios Ell. du Pin. Biblioth. Eccles. Tom. 2. pag. 655. Concionibus ejus plures Philosophiae sententiae admiscuntur, & Historiae, Fabulaeque locis refertæ sunt. Moralem doctrinam eo modo tradit, qui Philosophorum magis, quam populi captui accommodatus est, &c.

NEMESIUS quoque Emessæ Episcopus, celebris primum Philosophus, deinde Christianus factus, silentio hic non prætereundus; cuius exstat Liber De Natura Hominis Gr. Lat. in quo de Hominis Anima, & Corpore, ejusque partibus, de quinque Sensibus, & Affectionibus; de Fato etiam, & Providentia tractat, aliisque.

ROGERUS HEREFORDENSIS à patria dictus, Philosophus Anglus, Physicus, Astrologicisque studiis, & operibus clarus fuit circa an. 1170. sub Henrico II. Angliæ Rege. Scripsit De Rebus Metallicis lib. 1. In Artem Judiciariam lib. 1. Theoriam Planetarum lib. 1. De Ortu, & Occasu Signorum lib. 1. Colle-ganeum annorum Planetarum lib. 1. Expositiones Alphidii lib. 1.

ANTONIUS GALATEUS, Philosophus, & Medicus, Poëta, & Geographus sui ævi clarissimus, Galateus à patria dictus, quæ in nostri Regni Neapolitani Agro Salentinorum sita est. Literatorum omnium, qui sibi coævi erant, amicissimus fuit; à quibus etiam valde commendatur, ut à Pontano in suis versibus; ab Hermolao Barbaro, qui an. 1480. ei Traductionem Paraphrasis Themistii lib. 8. exaratam nuncupavit. Scripsit Versus commendabiles tum Lat. tum Ital. lingua; Descriptionem situs antiquæ Jappiiæ; De situ Elementorum; Quæstiones Physicas; De optimo genere philosophandi; sive Methodum studendi Philosophiae, &c. Ultimis vitæ diebus cum podagra affligeretur, ut mentem à doloris sensu abduceret, Laudationem Podagræ composuit. Obiisse fertur circa an. 1490. Vide Jovium in Elog. c. 119. Leandr. Alberti Descr. Ital. Vossium lib. 4. de Hist. Lat. Castellan. de Vit. Med. Gesnerum in Biblioth. &c.

LUDOVICUS REGIUS, sive Roy, genere Normannus, inter Criticos sec. 16. insignis, post varias peregrinationes Regius Philosophiae Professor Parisiensis extitit; ubi etiam ultimum diem obiit an. 1679. Composuit, & è Graeco in

in Latinum multa vertit; quorum hæc notat Gesnerus in Biblioth. *Vita Gysielmi Budæi*. *Oratio in funere Caroli Valesii*. *Adnotationes in Timæum Platonis*, &c. Vide Ste Marthe in Elog. Doct. Gall. lib. 3. La Croix du Maine Bibl. Franc. &c.

FREDERICUS BONAVENTURI, patriâ Urbinas, in Græcis literis, & Philosophia peritissimus, Urbini Duci carissimus, pro quo etiam legatione ad Gregorium XIV. aliosque Principes functus est, molestis his curis ultro abdicatis, totum Philosophiæ studiis se devovit, ruri degens, ubi & fatis cessit an. æt. 47. in fine sec. 16. duodecim ex Panthesilea Carpegna filios relinquens. Varios Philosophicos Tractatus exaravit, ut *De Ventis*. *De octimestri partu*. *De Monstris*. *De Aëstu maris*. *De Via Lactea*. *De cane rabido*. *De Jure Regni*, &c. Jan. Nic. Erythræus Pin. I. Imag. illustr. c. 151.

OTTO HEURNIUS, Natus Ultrajecti A.C. 1577. Patre Job. Heurnio: Leydæ, quod cum Patre secesserat, 1599. Philosophia Magister, annoque in sequente eadem in Universitate ejusdem Professor renunciatus: & 1601. demum Medicinae Doctor creatus est: atque tum successit in locum Patris paulo ante defuncti. Vander Linden de Script. Med. Edita ejus Opera, sed rarissima, sunt *De Barbarica Philosophia lib. 2. Babylonica, Ægyptiaca, Indica, &c. Philosophiae Primordia*. *De Ottone*, sive Othoni, ejusque scriptis, ita Jons. de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 26. Post hunc nominandus Otto Heurnius, Job. filius, Philosophus, & Professor Medicus Ultrajectinus doctissimus, natus an. 1577. propter Barbaricæ Philosophiæ Antiquitates, quas juvenis adbuc annos agens 23. in duplice concisum coëgit libellum, quorum alterum Chaldaicum appellat, Indicum alterum; ille Chaldaicæ Philosophiæ Historiam ab originibus suis primis, ejusque & varias in Asia vicissitudines, & propagationem ad Græcas demum gentes, exposuit: hic in brevissimos tractatus quatuor est divisus; quorum primus Indorum antiquorum, & recentiorum percenset Philosophos, eorumque varia genera, sectas, & placita: secundus Philosophos Babyloniorum, Phœnicumque: Ægyptiorum, & Indorum Philosophiæ magistros, eorumque doctrinam pertractat tertius: quartus agit de impura Magia Asiatica, Africana, Europæa, variisque eorum speciebus. Prodiit hic liber ex officina Plantiniana in forma minore 1600. & quia alias inventu difficilis est, eum quædam contineere recondita, multi crediderunt; sed non nisi generalia, vulgaria, ac trita pertractat; de quibus confer excellentissimum Gundlingum in Hist. Philos. Mor. p. 15. sive etiam doctissimum Ackerum in supplem. ad Bibl. Philos. Struv. p. 34. Vide etiam Meursium in Athen. Batav. Melchior Adam in Vit. Med. Germ. Valer. Andr. Bibl. Belg. Laur. Crassum Elog. d' Huom. Letter. &c.

SIMON GRYNAEUS Philosophus, & Theologus Basileensis, vir Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ, omnisque Philosophiæ peritissimus, qui à Melch. Adam. in Vita, suæ ætatis Philologorum, Philosophorum, & Theologorum princeps appellatur, Feringæ, Sveviæ oppido, natus est an. 1493. Philosophiam, Matthesin, reliquaque scientias, quas optime callebat, Wittebergæ, Heidelbergæ, Viennæ Austriae, & Basileæ multis annis publice, privatimque profectus est; ubi tandem ex peste obiit an. 1541. æt. 48. Imo & Philosophiæ Magister Σίμων Γρυναῖος Viennæ Austriae vocabatur. Hinc non immerito hæc, & alia præclara de ipso autorum sunt testimonia. Erasmus Epist. lib. 26. epist. 39. Simon Grynaeus est homo Latine Græceque ad unguem doctus, in Philosophia, & Mathematicis Disciplinis diligenter versatus, nullo supercilie, pudore pene immodico. Et lib. 28. Epist. 15. Vir in omni literarum genere citra supercilium eruditus, ita provehendis liberalibus studiis natus. Vossius de Mathem. De studiorum omni genere præclare merebatur Simon Grynaeus. Scaligerana prima Gall.

Gall. *Simon Grynæus vir elegans fuit, tam egregias concinnavit Præfationes in Pollucem, aliosque præstantes autores. In Plinium majorem valde labravit.* Vide, præter alios multos è recentioribus, Johannis Sapidi Jambos doctissimos de eo scriptos. Multa è Græco sermone in Latinum transtulit; multa propria composuit; è quibus illud Philosophicum Opus: *De Ignitis Meteoris, & de Cometarum caussis, & significationibus.* Etsi Grynæus in Romano Indice inter Hæreticos primæ classis rejicitur; ejus tamen Opera, addita Autoris damnati nota, permittuntur in Ind. Madrit. edito an. 1667.

SCIPIO CAPYCIUS, nobilissimæ Neapolitanæ Familiæ germen, magnum Patriæ, suique ævi ornementum, & ipse Phylosophis æque ac Poëtis adscribendus. Enimverò veterum omnium Philosophorum sententias exacte examine rimatus, Thaletis Aquam, Epicuri Atomos, Heracliti Ignem, atque aliorum communia quatuor Elementa, validis rationibus confutavit, suamque *de Aëre*, unico rerum omnium naturalium Elemento, opinionem cum Anaximene protulit, ac probare conatus est in suis *Libris 2. de Principiis Rerum*, quos hexametro versu, non secus ac Empedocles inter Græcos, inter Latinos Lucretius, eleganter concinnavit. Scripsit præterea *De Divo Johanne Baptista, Vate Maximo, libros 3.* eodem metro: *Elegias, Epigrammata, & Christi Domini Vitam*, quæ amici, cui eam tradiderat, incuria intercidit. Exstat etiam *Magistratum Regni Neapolitani cum Romanorum Magistratibus Comparatio*, ab eodem soluta oratione exarata. Vixit circa an. 1550.

THOMAS CAMPANELLA in Calabriæ Oppidulo, Styli nomine, natus an. 1568. decimotertio ætatis anno sacram Divi Dominici vestem induit. Subtilissimo ingenio præditus cum esset, dum adhuc Philosophiæ studiis sub præceptore operam daret, ejus ægroti vicem gessit, *Theses Philosophicas publice Consentiae* propugnanti electissima opponens argumenta; unde adstantibus tantæ admirationi fuit, ut dicerent, in ipsum Telesii spiritum recidivasse. Quod cùm Thomas audivisset, statim Telesii, cujus nec nomen cognitum sibi erat, opera legenda quæsivit. Quibus lectis, tanto erga eum amore succensus est, ut ipsius sectator factus fuerit, & propugnator. Quare undecim mensium spatio *Apologiam pro Teleio* confecit, qua libro à doctissimo Marta contra Telesium undecim annorum spatio elaborato, respondit. Cumque Neapolim, ut *Apologiam* hanc typis mandaret, venisset; vix Urbem ingressus, videns plurimos in celeberrimum Franciscanorum Templum, *S. Maria della Nova* dictum, turmatim intrare, & ipse simul introivit. Ut autem vidit, ibi publice Philosophiæ *Theses* controverti; obtento contradicendi permisso, in disputando sic optime se gessit, ut à Monachis sui Ordinis ovans in Monasterium duceretur. Sed cùm aliàs in Disputationibus Theologicis publice factis, & à veterano quodam Dominicanu Magistro expositis, ipse Magistro ob quasdam propositiones bene habitas plauderet; Magister eum acriter de temeritate objurgavit, quod Theologiæ imperitus, de re, quam non noverat, judicium protulisset. Cui Thomas acrius objecta reponens ait: Atqui ego, qui Theogiam, ut ait, vix à limine salutavi, tibi, non tamen ut putas, sapienti ostendam, me præstantius quam tu & eam bene nosse, & in Cathedris posse publice profiteri. Ex audaci hac response graviter ille perculsus, hostili, crudelique animo Thomam adeo persecutus est, ut eum de criminis læsæ Majestatis apud Regios Judices accusaret, quod Neapolim prodere ausus esset, & Monarchiæ arcana evulgasset. De hæresi quoque apud Inquisitionis Tribunal accusatus est. Quare Thomas strictiori carcere devinctus ad annos 25. gravia multa passus est; donec, sive Urbani VIII. sive aliorum ope, libertate donatus, Lutetiam Parisiorum se contulit an. 1634. ubi Philosophiam docens, ad mortem usque permanxit, quæ ex gravi melancholiæ

choliæ morbo ei contigit mense Mayo an. 1639. æt. 71. Acri fuit ingenio, sed prudenter destituto, lingua liber, natura inquietus, animo turbidus. Cardinalis Richelius magna beneficia in ipsum contulit. Hoc ejus Symbolum : *Propter Sion non tacebo.*

Scripta ejus hæc seruntur : *Physiologia : Quæstiones Physiologicæ : De Sensu verum, & Magia : (Pars mirabilis Occultæ Philosophiæ, in qua monstratur, Mundum esse Dei vivam statuam, beneque cognoscentem : omnesque illius partes, partiumque particulas sensu donatas esse, alias clariori, alias obscuriori, quatenus sufficit illarum conservationi, ac totius, in quo consintunt, & fere omnium Naturæ arcanorum rationes aperiuntur. Verba sunt Lindenii : quæ omnia, quam rectæ rationi adversentur, nemo non videt.) Opuscula Physica : Metaphysica : Poëtica : Atheismus Triumphatus : Tractatus Astrologicus : Monarchia Hispaniæ : Medicinalium juxta propria principia lib. 7. Civitas Solis (Opus ab eo, dum in carcere detineretur, elaboratum, & à Gab Naud. in Bibliograph. Polit. atque ab H. Conring. de Civ. Prud. c. 14. commendatum) Apologia pro Galilæo (ubi disquiritur, utrum ratio philosophandi, quam Galilæus celebrat, faveat Scripturis Sacris, an adversetur) Quibus Operibus hoc sequens addit. Jan. Nic. Erythr. in Pinacoth. de quo, aliisque suum etiam judicium profert, sic ajens : *Scripsit ingens Opus de Reformatione Scientiarum, decem in Codices divisum, quorum singuli plures in partes distribuuntur : unde nihil acutissimo ingenio homini tam fuisse propositum appareret, quam relicis veteribus viis ad omnium scientiarum notitiam novum, atque directum iter aperire. Scripsit etiam alia permulta partim edita, partim non dum impressa, quorum index à Jacobo Gaffarello recensetur. Ac cit. Lindenio de Script. Med. recensetur etiam Prodromus Philosophiæ instaurandæ, id est, Dissertationis de Natura Rerum Compendium, cum Praefatione ad Philosophos Germaniæ. Imo tot volumina Campanella concinnasse dicitur à Salom. Cypriano, ut ipsem Parisiis an. 1635. ea in 10. Tomos colligere decreverit; quorum Primus prodiisse an. 1638. ab eodem Cypriano dicitur sub hoc titulo : Thomæ Campanellæ Styli Ordinis Prædicat. Philosophiæ rationalis partes V. videlicet Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Historiographia, juxta propria principia suorum operum Tom. I. Refert etiam Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 29. Campanellam de libris à se compositis libellum ad Gabr. Naudæum misisse sub titulo : *Thomæ Campanellæ de libris propriis, & recta ratione studendi Syntagma ad Gabr. Naudæum.* Ubi à cit. Jonsio Magnus Philosophus, & Polygraphus jure dicitur. Denique de Vita, & Philosophia Campanellæ legatur Ernestus Salomon Cyprianus; de quo ita laudatus Jonsius lib. eodem cap. 36. In Academia Julia quondam Excellentissimus Ernestus Salomon Cyprianus, vir undequaque doctissimus, cum ad Philosophiæ munus eo vocaretur, Programma auspicale de Philosophia Thomæ Campanellæ concinnaverat. Id postmodum auchius an. 1705. apud Amstelodamenses recudi fecit sub titulo libelli : *De Vita, & Philosophia Thomæ Campanellæ,* 8. quod elegans opusculum in capita quinque divisit; in primo de Philosophiæ Vita, Studiis, & Fatis egit: in secundo variorum eruditorum judicia de Campanella collegit: in tertio de Theologia, & Magia: in quarto de ejus Philosophia: in quinto de libris Campanellæ tractat, quos amici ejus cum erudito orbe communicarunt, &c.**

Campanella ardantis, & portentosi vir ingenii dicitur à Naudæo. Joh. Desklér script. Adespot. 1686. p. 323. Campanella philosophatur magna severitate, sed sua Metaphysica methodo, &c. Leo Allat. Ap. Urban. Scripsit ab anno ætatis vicesimo non quæ ab aliis scripta erant, sed in hoc incumbens, ut nova in omnibus fere scientiis excoxitaret. Isaac Bullart. Acad. Scient. Gall.

Præclara sua virtute, ac eruditione dignum se præsttit, qui seculi sui Philosophorum Princeps audiret. Vide præterea Konig. Laur. Crass. Moreri Lex. Hist. potissimum verò Salom. Cyprianum loc. cit.

LUDOVICUS LESCLACHE in pago quodam Arverniæ natus, Parisis Philosophiam ingenti plausu, & auditorum concursu docuit. Novam docendi Philosophiam methodum invenit, per Tabulas scilicet, in quas eam omnem redigere studuit. Eas impressas discipulis vendebat: quod sibi quidem magno lucro, discipulis verò utilitati non exiguæ fuit. Vir eximiæ honestatis, ac probitatis fuisse traditur. Lugduni obiit 17. Augusti 1671. Ejus exstat Philosophia in Tabulas redacta: cui post mortem Clavem ad ipsam intelligendam, atque alia addiderunt.

ANTONIUS MIZALDUS, Gallice Mizault, Natus Montluconii in Gallia, Ducatus Borbonici oppido; fuit non solum Medicus, sed etiam Philosophus, & Mathematicus eximius. Obiit Lutetiae A.C. 1578. Linden. de Script. Med. In naturæ arcanis investigandis omnium fuit peritissimus, ut ejus opera demonstrant; quorum Catalogus seorsim editus in suis operibus habetur, & apud cit. Linden. quorum præcipua sunt: *Phænomena, seu temporum signa: Meteorologica: Cometographia: Planetologia: Mundi Sphæra, seu Cosmographia: Catalogi Sympathiaæ, & Antipathiaæ: Harmonia Cœlestium corporum, & Humanorum: Ephemerides aëris perpetuae, seu Popularis, & Rusticæ Tempestatum Astrologiæ ubique terrarum veræ, & certæ, libelli, seu classes V. quorum I. est de Pluvia, & Serenitate. II. est de Rore. III. de Ventis. IV. de Tonitruis. V. de Terræ motu, Cometis, &c. De Arcanis naturæ lib. 4.* Plures etiam Tractatus Gall. & Lat. edidit; ut *Hortorum Secreta, cultus, & auxilia: De Hortensium arborum infestatione: Exploratio, & dissecatio corporis arborei in sua sigillatim membra, & partes: Auxiliaris, & Medicus Hortus, rerum variarum, & secretorum remediorum accessione locupletatus: Artificiosa methodus comparandorum hortensium fructuum, oleorum, radicum, uvarum, vinarum, &c. Memorabilem jucundorum, & utilium Centuriæ 9. &c.* Vide Thuan. Ghilin. La Croix du Maine, & du Verdier, &c.

JULIUS-CÆSAR LAGALLA Neapolitanus, Philosophiæ, & Medicinæ in Collegio Romano Professor insignis per annos 33. circa annum 1612. floruit. Scripsit Tractatum *De Immortalitate Animæ*, atque alios ad rem Philosophicam spectantes, quos Leoni Allatio, qui ejus etiam vitam scripsisse dicitur, reliquit. Vide Konig. in Biblioth.

PAGANINUS GAUDENTIUS, Philosophus, Theologus, & Jure Consultus celeberrimus, Eloquentiæ primum, deinde Historiarum, & Politices Professor in Academia Pisana, defunctus an. 1649. eruditis suis operibus Philosophiæ, & Philosophorum Historiam plurimis juvit; quæ sunt: *Dogmatum Origenis cum Philosophia Platonis comparatio. De Pythagorica Animarum Transmigratione Dissertatio*; quæ Pisæ prodiit an. 1641. 4. de qua potissimum confer Morhofium Polyhist. II. 1. 2. 9. *De errore Sectariorum, & philosophicis veterum Ecclesiæ Patrum opinionibus. De veterum contemptu Aristoteleo. De Juliani Imperatoris Philosophia. De Philosophiæ apud Romanos Origine, ac Progressu libellus*, rarissimus, qui prodiit Pisæ 1643. 4. cuius excerptum dedit Tomus III. Observationum selectarum, qui Halæ impressus habetur 1703. Erudite profecto, perspicue, ac solide rem suscepitam ubivis exponit. Ex Jonfio de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 19.

MARINUS MERSENNUS Monachus Ordinis Minimorum, natus in oppido Æsæ, qui fluvius est Galliæ Belticæ, in regione Cenomanorum, populorum Galliæ, die 8. Septembris ann. 1588. ex patre Juliano, & Johanna Mouliere.

Parisiis, ubi literarum studiis vacavit, in Minimorum numero scriptus a. 1607. eorum institutum jurejurando professus est a. 1612. æt. 24. & multum in scientiis profecit, præcipue in linguarum studiis, quarum Hebraicam à P. Joh. Bruno ejusdem Ordinis optime didicit. Ab ann. 1615. ad 1619. in Cœnobio Niverni Philosophiam, ac Theologiam docuit, cui Cœnobia inde etiam præfuit. Matthesin quoque perfecte calluit; quare propter insignem suam eruditionem, moresque suavissimos, & incorruptos, viris sanguine, dignitate, vel literis, clarissimis gratus fuit, atque in suis in Italiam, Germaniam, &c. peregrinationibus acceptissimus. Obiit Parisiis die 1. Septembris ann. 1648. æt. 60. Inter ejus Opera, quæ plura, numerantur *Quæstiones in Genesin. Harmonicorum Libri, in quibus de Sonorum natura, causis, & effectibus. Cogitata Physico-Matematica Tom. 3. Veritas Scientiarum. Quæstiones in auditæ, &c.* Vide ejus Vitam à P. Hilarione de Costa scriptam, aliosque.

JOHANNES CLERICUS, literatorum nostri ævi literatissimus, de quo ita cit. Jons. lib. 3. c. 37. Eruditorum Belgarum princeps est Job. Clericus, Philosophiæ, & S. Linguæ apud Remonstrantes Amstelodami Professor, natus Genevæ anno 1657. die 19. Martii. Historiæ Philosophiæ profuit Historia Philosophiæ Orientalis, quam primus ex Anglicana editione Stanleji in Latinum versam notis, & elegantissimis observationibus instruclam Amstelodami dedit 1690. 8. Huic adduntur Zoroastris Oracula, doctissimis itidem notulis ornata cum indice philologico, qui textum Stanleji illustrat egregie. Cunctam deinde Historiam Orientalis Philosophiæ una cum notis Operum Philosoph. suorum Tomo II. inseruit, ut cætera Viri scripta raseamus. Descriptionem Vitæ Clerici editioni Lipsiensi Operum Clerici præmisit Gottl. Fr. Jenichenius. Cui vero jungendus ille Anonymus, ipsi Clerico familiaris à puero, qui locupletiorem Vitæ Clerici Historiam conciso, sed eleganti libello dedit, &c.

BENEDICTUS DE SPINOZA, natione Judæus, deinde Judaismi desertor, nomine potius, quam Fide Christianus factus, ac tandem Atheus, natus est Amstelodami ann. 1632. obiitque ann. 1677. æt. circiter 45. Omnium primus Atheismum nova methodo, & Systemate docuit, quamvis præcipua ejus doctrinæ dogmata cum plerisque tum veteribus, tum recentioribus, Europæis, & Orientalibus communia fuerint. Pater ejus dives mercator fuit origine Lusitanus. Ante Baptismum Baruch, post Baptismum Benedictus appellatus est. Latinam linguam à Medico quodam Amstelodami didicit, statimque Theologiæ complures annos studuit, ac tandem Philosophiæ totum se devovit. Cum autem Geometricum haberet spiritum, nec præceptores, nec harum scientiarum Autores pro voto ei facerent satis, & ille tamen summo sciendi amore arderet, quid in hisce ingenii vires valerent, experiri decrevit. Ad hoc propositum urgendum scripta Philosophica nobilissimi, & summi tunc temporis Philosophi Renati des Cartes magno ei fuerunt adjumento: hujus enim Methodum philosophandi præ aliis ad Geometricas demonstrationes accedere, rationique consonam nimis existimabat; etsi Renatum in plerisque rejiciebat, præcipue vero quod ad hominis Voluntatem, quam idem cum Intellectu esse dicebat, & nulla penitus libertate donatam, ut ex Ludovico Mayer Præfat. Renati des Cartes, &c. Principiorum more Geometrico demonstr. per Benedictum de Spinoza, ubi: *Cum discipulum suum Cartesii Philosophiam docere promisisset, religio ipsi fuit ab ejus sententia latum unguem discedere, aut quid, quod ejus dogmatibus, aut non responderet, aut contrarium esset, dictare. Quamobrem judicet nemo, illum hic aut sua, aut tantum ea, quæ probat docere. Quamvis enim quedam vera judicet, quedam de suis addita fateatur; multa tamen occurserunt, quæ tanquam falsa rejicit, & à quibus longe diversam ferat sententiam.*

Cujus

Cujus notæ inter alia, ut ex multis unum tantum in medium afferam, sunt, quæ de Voluntate habentur Schol. Propos. 13. Part. 1. Principiorum, & cap. 12. Part. 2. Append. quamvis satis magno molimine, & apparatu probata videantur. Neque enim eam distinctam ab Intellectu, multo minus tali præditam esse libertate existimat, &c. Spinozam verò, & Beckerum Cartesii Philosophiam non usos, sed abusos meritò dixit Buddeus Hist. Philos. succincta delineat. p. 90. ubi ait: *Benedictus Spinoza, & Balthasar Beckerus, et si Cartesianæ Philosophiae addicti, ipsius tamen Principiis abutentes, impium, & detestabile Systema condiderunt; & ille quidem errore nefando non aliud, quam ipsum Mundum agnovit Deum; iste verò non concipiens quomodo substantia cogitans agere in corpora possit, omnium spirituum operationes negavit.*

Postquam igitur fese ab omnigenis occupationibus, & negociorum curis, veritatis inquisitioni magna ex parte efficientibus, liberasset, quo minus à familiaribus in suis turbaretur meditationibus, urbem Amstelodamum, in qua natus, & educatus fuit, deseruit, atque primò Renoburgum, deinde Voorburgum, & tandem Hagam Comitis habitatum concessit, ubi etiam 9. Kal. Martii anno supra millesimum, & sexcentesimum septuagesimo septimo ex phthisi vitam hanc reliquit, postquam annum ætatis quadragesimum quartum excessisset. Nec tantum in veritate perquirenda totus fuit, sed etiam speciatim se in Opticis, & vitris, quæ Telescopiis, & Microscopiis inservire possent, tornandis, poliendisque exercuit; & nisi mors eum intempestiva rapuissest (quid enim in his efficere potuerit, satis ostendit) meliora ab eo fuissent speranda. Licet vero totum se Mundo subduxerit, & latuerit, plurimis tamen doctrina, & eruditione conspicuis Viris ob eruditionem suam magnumque ingenii acumen innotuit; uti videre est ex Epistolis ad ipsum scriptis, & ejus ad ipsas Responsonibus. Plurimum temporis in natura rerum perscrutanda, inventis in ordinem redigendis, & amicis communicandis, minimum in animo recreando insunxit: quin tantus veritatis expiscandæ in eo ardor exarsit, ut, testantibus iis, apud quos habitabat, per tres menses in publicum non prodierit; quinimo, ne in veritatis indagine turbaretur, sed ex voto in ea procederet, Professoratum in Academia Heidelbergensi, ei à Serenissimo Electore Palatino oblatum, modeste excusavit, uti ex epistola 53. & 54. perspicitur. Ita ex Præfatione Operum posthumorum Benedicti de Spinoza. His autem verbis Fabricius in eadem Academia Theologiæ Professor Spinozam Electoris nomine invitavit: cit. Epist. 53. *Philosophandi libertatem babebis amplissimam, quæ te ad publice stabilitam Religionem conturbandam non abusurum credit - - Hoc unum addo, te, si buc veneris, vitam Philosopho dignam cum voluptate transacturum, nisi præter spem, & opinionem nostram aliter omnia accident.* Cui Spinoza sic respondit ibidem epist. 54. *Si unquam mibi desiderium fuisset alicujus facultatis professionem suscipiendi, banc solam optare potuissim, quæ mihi à Serenissimo Electore Palatino per te offertur, præsertim ob libertatem philosophandi, quam Princeps clementissimus concedere dignatur - - Cogito deinde, me nescire, quibus limitibus libertas ista philosophandi intercludi debat, ne videar publice stabilitam Religionem perturbare velle.*

Quod ad Spinozæ Vitam hæc denique addenda. Judæorum hostis, ex quo desertor fuit, semper acerrimus, ipsos & verbis, & scriptis insectatus est; nec ullo modo, annuis etiam ei oblatis congiariis, ab eis adduci unquam potuit, ut externos saltem ipsorum ritus frequentaret. Implacabilis autem omnino factus ex quo Hebræus quidam ipsum ad mortem usque petivit; nullo tamen suscepto damno, nisi tantum in vestibus. In cunctis vitæ necessariis sobrius, & parcissimus, divitiarum contemtor, comis, & humanus semper vixit: quin-

imo oblatam sibi à Simone Uries amico suo hæreditatem recusavit, nolens, Uries fratrem hac hæreditate privari; nec annuos florenos 500. sibi in testamento ab eo legatos, omnes voluit, solis 300. contentus, quibus viveret. Teturimum suum Atheismi virus non æque in omnes evomebat, sed in eos tantum, qui ei discipulos se mancipabant. Ceterum in sua Religione quemque manere, & rigide eam observare, hortabatur. Hinc interrogatus à muliere, apud quam degebat, an in sua Religione salva fieret, respondit: Modò eam serves, & pietatis opera perficias. Postremò Sebastianus Kortholtus Præfat. edit. 2. Tractatus Christiani Kortholti patris sui de tribus Impostoribus, hæc habet de Spinoza: Vacavit interdum doctis, & principibus viris, quos non tam convenit, quam admisit, cum iisque de rebus civilibus sermones instituit. Politici enim nomen affectabat, & futura mente, & cogitatione sagaciter prospiciebat, qualia hospitibus suis non rara prædictit. Se professus est Christianum, & vel Reformatorum, vel Lutberanorum actibus non modò ipse adfuit, sed & aliis autor sæpe numero, & hortator extitit, ut templo frequentarent, domesticisque verbi quosdam divini præcones maximopere commendavit: Nec unquam iurandum, aut petulans de Deo dictum ex ore Spinozæ exiit; nec largiore usus est vino, & satis duriter vixit. Ideoque hospiti quavis anni parte 80. aureos Belgicos tantummodo persolvit, & summum 400. quotannis impendit. Auro plane non inhiabat, &c. Fertur, Spinozam ante mortem sæpe dixisse: Deus propitius esto mibi misero peccatori; ac pluries Dei nomen invocasse: cumque interrogaretur, an Deum vere existentem crederet? respondit, hoc ei nomen ex more, & consuetudine, non ex voluntate prolatum. Mandragoram quoque ante mortem bibisse dicitur, ut placide somnolentus moreretur; sed hoc fabulosum alii dicunt.

Inter impia, ac virulenta Spinozæ scripta est primò liber ille sub hoc pseudonymo titulo editus an. 1665. *Lucii Antistii Constantis de Jure Ecclesiastico* liber singularis; in quo docetur: *Quodcumque Divini, Humanique juris Ecclesiasticis tribuitur, vel ipsi sibi tribuunt, hoc aut falso, impieque illis tribui, aut non aliunde, quam à suis, hoc est, ejus Republicæ, vel Civitatis Prodiis, in qua sunt constituti, accepisse*. Præterea alter est proprio Autoris nomine insignitus sub titulo: *Tractatus Theologico-Politicus*; cujus dogmata iis, quæ in altero modò dicto continentur, simillima sunt: unde educitur, amborum auctorem unum esse. Qui Tractatus Gallice etiam sub hoc titulo prodiit: *Reflexions curieuses d'un Esprit desinteressé sur les matiers les plus importantes au salut tant public, que particulier*; imo & sub aliis etiam titulis, ut advertit P. Bælius in suo Lex. Hist. Crit. Ejus etiam est, quem supra notavimus, *Principia Renati des Cartes Geometrico more demonstrata per B. Spinozam*. Sunt & ejusdem *Opera Postuma*: *Epiſtolæ, &c.*

Sed ut execrandam impudentissimi Novatoris doctrinam, qua pestilentissimum Atheismi virus disseminare, non aperte tamen, sed obscure, & artificiosa, studuit, ad perpetuam impii confusionem paucis hīc tradam; sciendum primò est, ipsum Geometrico semper more, ἀλόγως tamen processisse: unde antequam sua ratiocinia contexeret, & subtilissimum suum Atheismi Systema conficeret, ut ædificii fundamenta posuit octo Definitiones, & septem Axiomata, quibus decem Propositiones superadstruxit. Totius autem Systematis summa est. *Nihil dari præter Deum, qui ab Universo, seu rerum Universitate non distinguitur; sicque Deum esse omnia, & omnia esse Deum*. Omnes sui Systematis conatus tendunt ad destruendam distinctionem inter Deum & Creaturam; cùm cæteroqui apud omnes in confessio sit, Creaturam omnem participationem quidem esse Divinæ Naturæ, re tamen ipsa, sive substantialiter, ut ajunt

ajunt, ab ea distinctum, & diversum quid esse, cum post productionem fuerit, quod ante productionem non erat. Per Spinozam igitur Rerum Universitas, sive Universa rerum Substantia, in qua omne, quod est, comprehenditur, siue naturae Cogitantis, sive Extensae, infinita est, increata, æterna, ipsaque Deus est, præter quam non est aliud Deus. Quam impiam de Deo sententiam ab antiquis quibusdam Philosophis Spinoza desumisse videtur; qui ipsum Mundum Deum esse dicebant. Hi autem potissimum fuere Eleaticæ Sectæ Philosophi, quibus Spinoza de suo hoc addidit, quod Atheismum per proprium Systema, & Geometricas demonstrationes probavit, sive probare credidit. Hinc de Spinoza Buddeus in Hist. Phil. succincta Delineat. p. 64. Atheismus Eleaticæ Sectæ proprius est. Imo multa similia prorsus iis docuisse videntur, quæ recentiori ætate in scenam revocavit Ben. Spinoza. Xenophanes enim docuit, unum esse omnia. Parmenides, atque Melissus, dum motum omnem, omnesque adeo generationes, & mutationes sustulerunt, induci forte sunt hac ratione, quod unam crederent esse substantiam - - - Rursus ab Alexandro Epicureo, qui inter amicos Plutarchi fuit, Atheismum suum accepisse Davidem de Dinan-
to, Scholastici dicunt, quem consentientia cum Spinoza docuisse constat. Definitiones, quas insipiens Novator sibi præmisit, sunt:

I. Per causam sui intelligo id, cuius essentia involvit existentiam, sive id, cuius natura non potest concipi, nisi existens. II. Ea res dicitur in suo genere finita, quæ alia ejusdem naturæ terminari potest; ex. gr. Corpus dicitur finitum, quia aliud semper majus concipimus; sic etiam cogitatio alia cogitatione terminatur: at corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore. III. Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur; hoc est, id, cuius conceptus non indigeat conceptu alterius rei, à quo formari debeat. IV. Per Attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam id, quod ejusdem essentiam constituit. V. Per Modum intelligo Substan-
tiae affectiones, seu id, quod in alio est, per quod etiam concipitur. VI. Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est, Substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam essentiam exprimit. Dico, absolute infinitum, non autem in suo genere; quicquid enim in suo gene-
re tantum infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus: quod autem absolute infinitum est, ad ejus essentiam pertinet quidquid essentiam exprimit,
& negationem nullam involvit. VII. Ea res libera dicitur, quæ ex sola suæ na-
turæ necessitate existit, & à se sola ad agendum determinatur; necessaria au-
tem, vel potius coacta, quæ ab alio determinatur ad existendum, & operan-
dum certa, & determinata ratione. VIII. Per Æternitatem intelligo ipsam
existentiam, quatenus ex sola rei æternæ definitione necessario sequi concipitur:
talis enim existentia ut æterna veritas sicut rei essentia concipitur; propte-
reaque per durationem, aut tempus explicari non potest, et si duratio princi-
pio, & fine carere concipiatur.

Axiomata sunt I. Omnia quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt. II. Id,
quod per aliud concipi non potest, per se concipi debet. III. Ex data causa
determinata, necessario sequitur effectus, & contra, si nulla detur determinata
causa, impossibile est, ut effectus sequatur. IV. Effectus cognitio à cognitione
causæ dependet, & eandem involvit. V. Quæ nihil commune inter se invicem
habent, etiam per se invicem intelligi non possunt; sive conceptus unius alte-
rius conceptum non involvit. VI. Idea vera debet cum suo Ideato convenire.
VII. Quidquid ut non existens potest concipi, ejus essentia non involvit exi-
stentiam.

Propositiones denique sunt. I. Substantia prior est naturæ suis affectioni-
bus,

bus. Demonstratio patet ex defin. tertia, & quinta. II. Due substantiae diversa attributa habentes, nihil inter se commune habent. Demonstratio patet ex defin. 3. unaquæque res enim in se debet esse, & per se debet concipi, sive conceptus unius alterius conceptum non involvit. III. Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest: quod post Axioma quartum verum est. IV. Due, aut plures res distinctæ, vel inter se distinguuntur ex diversitate attributorum substantiarum, vel ex diversitate earundem affectionum. Demonstratio: Omnia, quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt, per axioma 1. hoc est, per definitionem 3. & 5. extra intellectum nihil datur præter substantias, earumque affectiones; nihil ergo extra intellectum datur, per quod plures res distingui inter se possunt, præter substantias, seu, quod idem est, per earum attributa, earumque affectiones. V. In verum natura non possunt dari due, aut plures substantiae ejusdem naturæ, sive attributi. Demonstratio: Si darentur plures distinctæ, deberent inter se distingui vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum, per propositionem præcedentem; si tantum ex diversitate attributorum, ergo concedetur, non dari nisi unam ejusdem attributi: at si ex diversitate affectionum, cum substantia sit prior naturæ suis affectionibus, per propositionem 1. ergo depositis affectionibus, & in se considerata, hoc est per definitionem 3. & 6. vere considerata, non potest concipi ab alia distincta, hoc est, non poterunt dari plures, sed tantum una. VI. Una substantia non potest produci ab alia substantia. Demonstratio: In rerum natura non possunt dari due substantiae ejusdem attributi, per propositionem præcedentem, hoc est, per propositionem secundam, quæ aliquid inter se commune habeant, adeoque per propositionem tertiam una alterius causa esse nequit, sive una ex alia non potest produci. VII. Ad naturam substantiae pertinet existere. Demonstratio: Substantia non potest produci ab alio, per propositionem præcedentem; erit itaque causa sui: Substantiae enim essentia, per definitionem primam, sui existentiam necessariò involvit; sive ad ejus naturam pertinet existere. VIII. Omnis Substantia est necessariò infinita. Demonstratio: Substantia unius attributi nonnisi unica existit, per propositionem septimam. Erit itaque ipsius natura vel finita, vel infinita existere: at non finita, nam, per definitionem secundam, deberet terminari ab alia ejusdem naturæ, quæ etiam necessariò deberet existere, per propositionem septimam: adeoque darentur due Substantiae ejusdem attributi, quod est absurdum, per propositionem quintam: ergo existit infinita. IX. Quod plus realitatis, aut esse unaquæque res habet, eò plura attributa ipsi competunt: Demonstratio patet ex definitione quarta. X. Unumquodque unius Substantiae attributum per se concipi debet. Demonstratio: Attributum est, quod intellectus de Substantia percipit, tanquam ejus essentiam constituens: ergo, per definitionem tertiam, per se concipi debet. Ex quibus omnibus Spinoza varia Corollaria, & Scholia dedit, quæ apud ipsum videre est.

Contra Spinozam scripsérunt Job. Conr. Durrius, Jac. Thomasius, Job. Musæus, Henr. Morus, Wittichius, Velthusenius, Franc. Cuper, religione Socianianus, in Tract. cui titulus: *Arcana Atheismi revelata, philosophice, & paradoxe refutata*; plures etiam Doctores Lutherani, & Calvinistæ; P. Dan. Huet. in De monstr. Evangel. R. Simon. Job. Colerus in Tract. de Vera Religione J.C. contra Spinozam; Mr. Tyon, discipulus Labadii, & Labadistarum Minister, in suo Tract. *Impietas convicta*; P. Le Vassor in lib. de Vera Religione; Mr. van Til; Mansveldius; Batelerius; Petrus Bælius in Lex. Histor. Crit. ubi ait, neminem melius, ac doctius Spinozismum oppugnasse, confutasse, ac funditus evertisse, quam Job. Bredenburgum in Operè suo, cui tit.

Ener-

Enervatio Tractatus Theologico-Politici, una cum Demonstratione Geometrico ordine disposita, Naturam esse Deum, &c. atque alii, quorum numerus pene innumerus est. Videri etiam possunt Le Journal des Scavans 31. Jan. 1699. Les Nouvelles de la Rep. des Lettres; & L'Histoire des Ouvrages des Scavans eodem anno. Atque hæc de Spinoza.

C A P U T XII.

Epicurei Emendati, sive Gassendiæ.

Epicureis, qui in Hortis cum Epicuro, & post ipsum Athenis floruerunt, cap. 15. lib. 3. hujus Historiæ recensitis; atque Epicureis Romanorum Philosophis cap. 1. lib. 4. hujus enarratis, (quibus Diogenes Laërtius addi posset, qui tempore Antonini, & Severi vixisse dicitur, clarus præcipue ob libros X. Vit. Philosophorum, Arriæ, philosophanti fæminæ φιλοτλάτων, Septimo Severo, & Antonino Caracallo, Imp. carissimæ, dicatos; in quibus se pluribus in locis Epicureum ostendit; potissimum verò, quod de Epicuro librum X. integrum conscriperit, doctrinam commendaverit, & acerrime defenderit) Recentiores addendi Epicurei sunt, qui Epicuri Philosophiam ab erroribus, Christianæ Religioni contrariis, expurgatam professi sunt. Quorum Dux, & Autor

P E T R U S G A S S E N D U S

Natione Gallus, patria civis Diniensis, cuius Ecclesiæ Episcopalis pri-
mum Canonicus, deinde etiam Præsbyter Præpositus, Sac. Theologiæ
Doctor, ac Regius in Parisiensi Academia Mathefeos Professor, Philosophus
nostræ ævi celeberrimus, pauperibus ortus est parentibus 9. Kal. Febr. 1592.
quæ major ejus nobilitas, & gloria ex literarum studiis videretur. Post expleta
linguarum, humaniorum literarum, & Philosophiæ studia (quam etiam pu-
blice, & laudabiliter docuit) Mathesi ac potissimum Astronomiæ totum se
dedidit, id cum primis suadentibus Nicol. Fabr. Peirescio, Magnæ Provinciæ
Tribunalis Consiliario, & Domino du Vair, ejusdem Tribunalis Præside,
apud quos erat gratusissimus. Cum autem Aristotelis Philosophia, quam ex
præceptoribus hauserat, ei non arrideret, ex reliquis veterum Philosophiæ Sy-
stematis Epicureum elegit emendandum, ut sectaretur. Doctrinæ, eruditio-
natis vir fuit insignis; unde etiam literatis, Principibus, & Cardinalibus
carus semper fuit. Tandem extremum diem obiit Parisiis ann. 1655. die 24.
Octobris æt. 64. quem marmoreo tumulo post mortem dignatus est Henricus-
Ludovicus Habertus de Montmor, Libell. Suppl. Magister, qui vivum domi
semper honoris gratia habere voluit. Idem Habertus magnifico marmoreo tu-
mulo, quod ei erexit Lutetiæ in Ecclesia S. Nicolai Campensis, atque in ipso
Sacello Illustr. Familiae Mammorianæ, quod S. Josepho sacrum, pro Amico
suo, & Hospite sibi carissimo, Epitaphium superaddidit. De Gassendo plura
qui cupit, adeat Samuelem Sorberium, Christianissimo Regi ab Historica re,
qui ejus Vitam descripsit sub titulo: *Dissertatio de Vita, & moribus Philosophi,
ac Mathematici celeberrimi Petri Gassendi, ad Virum illustrem Henr. Ludovi-
cum Habertum Mammorium, Libellor. supplic. magistrum integerrimum præ-
scripta; in qua etiam ejus scripta enarrantur. His igitur de Vita breviter enarrat-
is, scripta videamus.*

Hæc,

Hæc, quæ Tom. 6. fol. continentur, res Philosophicas, Mathematicas, Vitas celebriorum Mathematicorum, Peirescii etiam, ejusque Bibliothecæ laudes, Epistolas, &c. tractant. Quorum hoc est Jonsii judicium de Scr. Hist. Phil. lib. 3. c. 31. Anno 1624. lucem publicam videbant ejus Exercitationum Paradoxicarum adversus Aristoteles libri 7. in quibus omnes hujus Philosophi errores deteguntur, præcipua totius doctrinæ Peripateticæ fundamenta excutiuntur, opiniones vero novæ, aut è vetustioribus obsoletæ, stabilituntur. Primus liber 8. continet Exercitationes; quarum uniuscujusque tale est argumentum.

I. Quod homines Aristotelici ex germana Philosophia Sophisticen effecerint.

II. Quod immrito Aristotelici libertatem philosophandi sibi ademerint.

III. Quod rationes nullæ sint, quibus secta Aristotelis videri potest præferenda.

IV. Quod maxima sit incertitudo librorum, doctrinæque Aristotelicæ.

V. Quod apud Aristotelem innumera deficiant.

VI. Quod apud Aristotelem innumera superfluant.

VII. Quod apud Aristotelem innumera fallant.

VIII. Quod apud Aristotelem innumera contradicant. - - - Sed reliquos libros 6. eruditæ non viderunt; num editi fuerint, Launojus significare non potuit. In ipsis autem quid tractaverit, ejus in lib. I. Præfatio docet, ubi inquit: Liber secundus opponitur Dialecticæ Aristotelicæ, ubi nulla ipsius Dialectices necessitas, utilitasve declaratur, &c. Liber tertius destinatur in Acroasis Physicam, &c. Liber quartus adoritur libros de corpore simplici, ubi primum & stellis, & soli comparatur quies, &c. Liber quintus agreditur vulgares tractatus, quos de mistis instituit, &c. Liber sextus adversus Metaphysicam instituitur. Liber denique septimus est in Moralem Philosophiam. Confer Launojum de varia Arist. fortuna.

De libris pro Epicuro editis ita sequitur laudatus Jonsius: Sed Gassendus ab edendis contra Aristotelem libris abstinuit, & totum postea se Philosophiæ Epicureæ restaurandæ dedit. Itaque peculiare Opusculum de Vita, Moribus, & Doctrina Epicuri libris 8. concinnavit. - - - In hoc Epicuri & Vitæ, & Scholæ historiam exposuit ita, ut nemini fortasse alteras curas hac in parte reliquerit. Liber primus, & secundus non nisi nude vitam, mores, & Scholam Epicuri persequitur; ita tamen, ut ejus etiam recenseat libros, amicos, & successores. In primis cap. 5. lib. I. docet, quando, & qua occasione Epicurus Philosophiæ se dederit, sectamque condiderit. Quartus liber occasionem quæsitæ Epicuro infamiae detexit. Quintus objectam malignitatem depulit. Sextus objectum gulæ vitium. Septimus objectam venerem. Ultimus odium objectum artium liberalium. Etiam primus è recentioribus edidit Animadversiones in Diogen. Laërt. lib. X. qui de vita, moribus, placitisque Epicuri agit, 3. volum. in fol. His denique Philosophiæ Epicuri Syntagma addidit, in quo Philosophiæ Epicureæ principia exposuit. In omnibus autem Epicuri acrem vindicem egit sic, ut non modò virtutes ejus, sed etiam vicia, & errores exposuerit, & saepe contra ipsum disputaverit. Ita quando de Providentia agit, quam omnino in dubium vocavit, partes ejus, & caussam plane deserit. Doctrinam de Atomis ita amplectitur, ut ne locum det Atheismo, &c.

Omnia igitur præclari hujus Mathematici, ac Philosophi Opera ad hæc fere rediguntur. Syntagma Philosophicum. Liber proœmialis de Philosophia universæ. Logices lib. 2. Physices sect. 3. Ethica. Physica Opuscula. Philosophiæ Epicuri Syntagma. Exercitationum Paradoxicarum adversus Aristotelicos lib. 7. Fluddanæ Philosophiæ Examen. Disquisitio Metaphysica adversus Cartesium. Epistolæ 14. de rebus Mathematicis. Institutio Astronomica. Commentaria de rebus Cœlestibus ab ann. 1618. ad 1655. Opera Humaniora, & Miscellanea. Diogenis Laërtii liber X. Vitæ Epicuri; Peirescii; Tychonis Brahe; Nicolai Copernici; Georgii Peurbachii, & Job. Regiomontani.

Abacus

Abacus Sestertiorum, sive, &c. Romanum Kalendarium. Notitia Ecclesiæ Dionensis. Epistolæ, & Responſa Autoris ad varios, & eorum Responſa ab an. 1621. ad 1655.

Quale autem Gassendo Philosophiæ Systema fuerit, ut enarrarem, sic paucis me absolvam. In omnibus Democriti, Epicurique doctrinam secutus est; quam non solum explanavit, & illustravit, sed etiam emendavit, & idoneam, quam Christiani sequerentur, reddidit. Itaque Epicurum ex Ethnico, & Ethnicorum irreligiosissimo, Christianum fecit; suumque sic Præpositi Ecclesiæ munus optime complevit. Hinc Mundum creatum contra Epicurum docuit: cuncta in mundo non per fortuitum Atomorum concursum facta fuisse, & fieri, sed Divina Dispositione: Dei Providentia omnia gubernari: A Deo tum in vita, tum post mortem & pœnas timendas, & præmia speranda, &c. Quidquid igitur Christianæ doctrinæ contrarium erat, demsit, vel emendavit: unde & ejus Scientiam Epicuream Emendatam appellare placuit.

De Gassendo innumera pene ac præclara sunt autorum testimonia, quæ, ut brevitati consulam, exscribere prætermitto; horum unum aut alterum adnotasse contentus. Leo Allatius Ap. Urb. p. 70. Petrus Gassendus Diniensis Ecclesiæ Theologus, vir primarius, qui novo ingenii acumine, diserta orationis textura, & admirandorum monumentorum copia Europæ innotuit. Joh. Launoi Epist. de Gassendo: *In eo peraccre ingenium & judicium, incredibile studium, labor indefessus, singularis in asserenda veritate methodus, varia eruditio, eaque exquisitissima, terfa, & elaborata scripto, bonitas eximia, & pietas, vita gravitas, morumque integritas summa, frugalitas præfata, &c.* Vossius de Mathem. Anno 1628. ac deinceps, varia doctrina, imprimis Mathesi eluxit Petrus Gassendus, Gallus; cuius singularem, & multijugam eruditionem non potui non mirari, cum Belgicam banc lustrans ann. 1629. me non semel salutatione, & alloquio suavissimo dignaretur. Rapin. Animadv. in Physicam sect. 9. Gall. Gassendus est autor, qui satis laudari nequit. In tota Vetustate nullus reperitur Philosophus, qui sex ampla Volumina tam nervose conscripserit. Et Animadv. in Philosophiam 18. Gall. Gassendus, qui censeri tantum voluit Democriticæ, Epicureæque Philosophiæ Restaurator, pauca è proprio penu loquitur, de suo fere nihil habet preter stylus venustatem, quæ Autoris mirifici famam ipsi facile conciliavit. Ad ipsum in ejus Physica refutandum sufficiunt Aristotelis adversus Democritum, ejusque discipulos argumenta. Vide ejus elogia apud Mares. Menag. Mersenn. Hobb. Ricciol. Magnan. Crass. &c.

NICOLAUS-CLAUDIUS-FABRICIUS PEIRESCIUS

Vir æterna fama dignissimus; nunquam satis laudandus; eruditione, & genere nobilissimus; Nobilis Gallus immortalium meritorum; literarum, dum vixit, magnus instaurator, & literatorum Mecœnas plane incomparabilis, quibus, & similibus glorioſis nominibus gravissimi. Autores ſæpe vocant, & dignis honestant laudibus; Natus est in Belgencerii caſtro prope Tolonem primo die Decembris 1580. Senator Parlamenti Provinciæ, ingenit inter primos sui ſecuti, Philosophus acutissimus, Mathematicus eximius. Obiit Aquis Sextiis an. 1637. In Academia Romana funebri Oratione, aliquot Cardinalibus præsentibus, in literatorum panegyri honoratus. Elogia ejus, linguis 40. expressa, in uno volumine habentur, cui titulus *Panglossia*, sive generis Humani Lessus in funere delicii ſui. Hofmannus: Viri tam illuſtris de literis, quibus promovendis totus inhiabat, & de literatis, quibus & propenso animo

Eee

fave-

favebat, & excelsa liberalitate opitulabatur, optime meriti, Vitam copiose, & integris sex libris descripsit Gassendus; cuius jam tertia editio eruditorum manibus assidue teritur. Qua de re ita Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 31. de Gassendo loquens: Iterum Vitam Peirescii descriptam dedit, dignans, quæ ab omnibus politissimis ingeniosis legatur. Fuit Nic. Claud. Fabr. Peirescius Aquissensiensis Parlamenti Consiliarius, vir omnibus optimis literis, doctrinæque egregie excultus, & clarus ob instruclissimam omni optimorum librorum copia Bibliothecam. Inde quia summa in Gassendum erat liberalitate, hic non solum Vitæ, sed Bibliothecæ quoque ejus historiam optime omnium describere potuit. In hanc quoque omnia concessit, quæ memoriæ digna sunt, hoc est, quæ pertinent ad rem literariam, ad antiquitates, ad Philologica, Mathematica, Physica, & Moralem scientiam, &c. Catalogum MSS. priorum, illustris, ac sapientissimi hujus viri cit. Gassendus in Auctario subnectit, quod Lector adeat.

Peirescium in Gassendiftarum numero merito locavimus: ejusdem enim in Philosophicis sententiæ eum esse decebat cum illo, cui arctissima familiaritate, & studiorum communicatione devinctus erat. Ejus cæteroqui justas laudes passim apud omnes recentiores auctores, præter dictum Gassendum, inventire quis poterit, præcipue apud Bouche, Pittonum, Salmasium, Morinum, Grotium, Naudæum, Bullart. &c. quos vide.

FRANCISCUS BERNIER

Medicus, ac Philosophus Agathopoleos, sive Montis Pessuli; præter editum Opus De Itineribus, Gall. des Voyages, quod omnium manibus testitur, & magni sit, celeberrimus etiam inter Gassendiftas est ob Epitomen Philosophiae Gassendi, à se compositam, & evulgatam; in qua magnus hic Gassendi discipulus nedum Præceptoris sui doctrinam omnium optime defendit, præcipue contra Joh. Baptistam Morinum, Medicum, & Matheseos Professorem Parisiensem, duabus illis Apologiis, quarum alteri titulus est *Anatomia ridiculi muris*, alteri verò *Favilla ridiculi muris*, ann. 1651. & 1654. Parisiis impressis; verum etiam mentem, & genuinam sententiam exposuit eleganter; atque multa, quod nemo unquam discipulorum fecerat, addidit, quæ post Gassendum tum in Physica, tum in Astronomia & excogitata sunt, & inventa; sicut ipsemet Bernier in Praefatione huic Epitomæ præfixa, testatus est; ac Dubia quædam super difficilioribus Philosophiae questionibus sibi efformata immiscuit.

THOMAS HOBBES

Hobbesius, sive Hobbius, natione Anglus, natus est Malmesburiæ Nonis Aprilis 1588. In literario Indo adhuc degens tantos in Latinis, Græcisque literis progressus fecit, ut Euripidis Medeam anno ætatis 14. simili metro Latinis versibus eleganter expreßerit; & inde etiam Thucydidis Opera è Græco in Anglicum verterit, & evulgaverit an. 1628. ut in hac Atheniensium Historia Anglis civibus suis ostenderet, quanta democraticum regimen Atheniensibus mala pepererit. Peripateticæ Philosophiæ studiis annos quinque strenuam dedit operam; quam tamen, quia tunc temporis literatis omnibus contemtui erat, dereliquit, ac saniori, plausibiliorique sui ævi Philosophiæ, bonarumque artium studiis se addixit. Comitis de Devonshire filium primogenitum erudiendum suscepit, cum quo Galliam, & Italiam lustravit: quo, & patre mortuis, alium

è ma-

ē magnatibus juvenem discipulum obtinuit ann. 1629. quem in Galliam etiam duxit; ubi Hobbesius Mathematicis studiis, licet paulo serius, animum adjecit, eo potissimum animo, ut methodo ipsis propria intellectus ad rerum cognitionem optime duceretur, atque difficultia inveniendi, vera afferendi, falsa redarguendi certissima ratione imbueretur. Anno 1631. ad Comitis de Devonshire Vidiuam iterum accessit, ut ejus alterum filium in literis, & moribus institueret, cum quo Galliam iterum adiit, & Italiam; ubi Physices, & Mathezeos studiis jugiter intentus, brutorum operationes, & sensationes ad rigidum revocavit examen: in quibus studiis P. Mersennum familiarem, & socium habuit. Anno 1637. in Angliam accitus, ipsam relinquere coactus est ob bellum civile an. 1640. ibi excitatum, & in Galliam quartō jam venit; ibique sub Principis de Galles auspiciis vivens, quem Mathematicas etiam docuit disciplinas, locum philosophando aptissimum, & Philosophos praeclaros amicos nactus est Mersennum, Gassendum, aliosque, quibuscum familiariter vixit, & philosophatus est. Ibi primū tum pro suo in Regem officio, atque obsequio, tum pro decumano, quo semper in Democraticos odio laboravit, libellum scripsit juris Regii afferendi gratia, qui postea in Librum de Cive, & tandem in Leviathan excrevit; ut est in ejus Vita pag. 45. cuius pauca dumtaxat Exemplaria Parisiis ann. 1642. evulgavit. In hoc Opere omnium jura tum publica, tum privata, tum sacra, tum profana uni Regiae potestati submittit; cui quantum tribuit, tantum illis derogat. Atque hinc factum, ut omnium ne dum Catholicorum, verum etiam Hæreticorum odium Hobbes in se concitaverit. Ex his fuere Renatus Descartes, Robertus Scharrokius, Richardus Cumberlandus, Franc. Jul. Chopius, Sethus Wardus, Sam. Strimesius, atque alii, qui plura volumina contra ipsum ediderunt. Pugnarunt tamen pro Hobbesio magni nominis viri; in Gallia Sam. Sorberius, qui librum hunc de Cive an. 1647. Amstelodami secundo edi curavit, & Gallice etiam vertit, & evulgavit, Marinus Mersennus, Petrus Gassendus, quibuscum etiam familiariter in celeberrima Parisiensi Academia vixerat, teste Bælio voce Hobbes: in Belgio porro Lambertus Velthusius: in Germania Joh. Christophorus Beckmannus; quos multa quoque propter Hobbesium perferre oportuit. Carolus II. Angliæ Rex, Regno redditus an. 1660. magni Hobbesium fecit, multisque honoris signis decoravit: diu namque apud cit. Comitem de Devonshire latens vixerat, præpotentium inimicorum odium timens: à quo etiam pro Regia liberalitate anno congiario donatus est. Quamvis Anglicanæ Ecclesiæ ritus observasse; Christianam Religionem, quatenus in Ecclesia Anglicana, regni legibus stabilitur, ex animo amplexum esse, ac semper retinuisse, & de Deo optime sentiisse, ejus Vitæ scriptores affirmant, ubi pag. 105. ajunt: *Deum agnovit, eumque rerum omnium originem, inter angustos tamen humanæ rationis cancellos nullatenus circumscribendum.* Et pag. 107. Sandius illi, & reverentius visum, de Deo credere, quam scire. Sacerdotes interim culpare solitus est, qui Christianam Religionem absolutam, & simplicem vel superstitionibus macularent, vel inanibus interdum profanis speculationibus implicarent; nihil tamen minus Atheus vulgo audit. Quam notam, Hobbesii famam summè denigrantem ita purgare conantur ejus fautores in Vita p. 107. Quare fortiter calumniati sunt, qui ipsum Atheismi reum detulerunt; quod inde forsitan profectum, quia Scholasticorum, aliorumque isto de grege morem rejecerat, qui octo in Musæis suis sedentes, juxta imbecillem ingenioli sui caput, Naturæ Divinæ incompta attributa.

Quod vero ad ejus mores, & vitæ finem hæc notanda. Honesti hominis characteres habuisse dicitur; patriæ enim amorem, Regi fidem, amicis officia, pauperibus miserationem, cunctis sua iura, servavit; & paucis: *Quicquid ad*

pietatis exercitia, aut bonos mores conferret, plurimi fecit, ut in ejus Vita l.c. nisi quod Aestate adhuc intra juventutis terminos constante (liceat verum fateri) nec abstemius fuit, nec μωρόγυψος; ib. p. 104. vino namque & veneri indulgebat. Plus temporis meditationi dabat, quam lectioni: Quin & illud saepe dicere solitus est, quod si tantum libris incubuisse, quantum alii e Literatis vulgo faciunt, eadem cum illis ignorantia laborasset. Vit. Hob. p. 112. Et quidem fuit Lectio ejus pro tanto etatis decursu non magna: Autores versabat paucos, sed tamen optimos. Homerus, Virgilius, Thucydides, Euclides, illi in deliciis erant. Ingentem librorum supellecilem, qua superbiunt Bibliothecæ, non magni fecit, cum mortales plerumque pecorum ritu, &c. ibidem. Tandem obiit 4. Decembris 1679. æt. 91. in cœlibatu, tanquam Philosophiæ studiis maxime commodo, semper vivens.

Opera ejus Philosophica, quæ ann. 1668. Amstelodami edita prodierunt, sunt: *Problemata Physica*. *Dialogi 6. de Emendatione hodiernæ Geometriæ*. *Libri 3. de Corpore*. *Liber de Homine*. *Libri 3. de Cive*. *Tract. de natura Aeris*. *Tract. de Principiis, & Ratiocinationibus Geometrarum*. *Leviathan, sive de Materia, Forma, & Potestate Civitatis Ecclesiastice, & Civilis*. Anno tamen 1671. prodiit ejusdem *Rosetum Geometricum*. Scripsit etiam Hobbesius *Objectiones in Meditationes Cartesii*, ut ipsemet Cartesius testatur in Epitolis, ubi ipsum in Morali magis, quam in Physica, vel Metaphysica valere affirmat. Unde hic notandum, quod secta, quæ de conditoris nomine Hobbesiana dicta est, nonnisi de Morali disciplina intelligenda est; in Physicis enim, & Metaphysicis peculiare Systema condidisse, dici non potest. Cum igitur nec Aristoteli, nec Cartesio assensus fuerit, nec novum aliquod Systema confercerit; contra verò cum Gassendo familiaritatem, & communia habuerit studia; merito ipsum inter Gassendistas referre duximus. Imo & Epicureum se quam saepissime tum in Moralibus, tum in Physicis manifeſte ostendit, ut advertit Sam. Parker. de Deo in disp. p. 86. & 87. his verbis: *Hoc probe scio, Hobbiū nihil nobis obtulisse, nisi quod apud veteres in Epicuro reprehensum inveniamus*. Ut enim Epicurus omnia à Democrito surripuisse dicitur, ita Hobbius omnia Epicuri flagitia ingenti fastu tanquam sua recudit; atque ut nova videantur, novis nominibus (quorum ille, ut sunt novatores omnes, egregius artifex) appellare affectavit. Exemplo sit magnum illud, & primum omnis suæ Philosophiæ *Moralis*, & *Civilis* effatum. Ut enim Epicurus Voluptatem ultimum cuiusque finem esse statuit, ita hic eadem vocabuli ambiguitate Sui Amorem, &c. Et Rapin. Animadv. in Vet. & Nov. Philosophiam sect. 18. & Animadv. in Phys. sect. 9. Gall. - - - Hobbes obscurus est, gratiarumque expers: in suis ideis singularis, eruditus, parum tamen solidus: in sua doctrina inconstans; modo enim Epicureum, modo Peripateticum sese exhibet. - - Thomas Hobbes magnam ingenit profunditatem ostendit, & etiam inter postremorum horum seculorum Epicureos audacissimus est, eorumque in omnibus Principia, nequaquam sibi temperans, sectatur. In omnibus, quæ mentem, ejusque principales operationes respiciunt, perperam ratiocinatus est, horum scil. principium Phantasmatibus, & Imaginationi tribuens.

Ut autem Hobbii in Ethicis, & Politicis Systema in Leviathane traditum paucis exhibeamus; exscribenda hic est ejus doctrinæ summa, quæ habetur in Vita p. 43. Ejus autem summa bæc fuit: *Sine Pace impossibilem esse incolumentem*; *sine Imperio Pacem*; *sine Armis Imperium*; *sine opibus in unam munum collatis nihil valere Arma*; *neque metu Armorum quicquam ad Pacem profici posse in illis*, quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum; *nempe dum consensum non sit de iis rebus*, quæ ad salutem eternam ne-

necessariae creduntur, Pacem inter cives non posse esse diuturnam. Quot tamen contra impium hunc Librum, & Hobbii alios, edita fuerint scripta ne dum Catholicorum, sed Heterodoxorum etiam, præcipue Anglorum, videre est in fine saepius citatæ ejus Vitæ. Et quidem si non Atheus, saltem Irreligiosus, ac novarum, impiarumque in religionem opinionum autor dicendus est. Omnia item corporea esse credebat. Reliqua vide apud ipsum in cit. suis Operibus.

De Hobbio ita Autores. Jonsius de Script. Hist. Phil. lib. 3. c. 32. - - - *Antimatum totum ad Philosophiam applicuit, in qua ita profecit, ut sectam condiderit. Multa invenit, nonnulla tamen etiam pervertit. Hæc & ratio est, cur tantum in se concitaverit odium, &c. Sam. Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. in Præfat. Thomas Hobbes in Operibus suis ad Civilem Scientiam spectantibus plurima habet quantivis pretit; & nemo, cui ejusmodi rerum est intellectus, negaverit, tam profunde ipsum Societatis Humanæ, & Civilis compaginem rimatum fuisse, ut pauci priorum cum ipso heic comparari queant. Et qua à vero aberrat, occasionem tamen ad talia meditanda suggerit, quæ altius fortasse memini in mentem venissent. Sed quod & hic in Religione peculiaria sibi, & horrida dogmata finxerit, &c. Sam. Sorbiere Præfat. in Oper. Gassendi: Gassendo fuit carissimus Thomas Hobbes, cuius libellum de Corpore, manibus Prætei nostri paucis ante obitum mensibus accipiens, osculatus est; subjungens: Mole quidem parvus est iste Liber, verum totus, ut opinor, medulla scatet. Unde non mirum, si à Gassendo in Epist. ad Sam. Sorberium laudatur impensis, ubi ait: *Liber de Cive certe est non vulgaris, dignusque, qui omnium, qui altiora sapiunt, manibus teratur; neque (si illa se posuero, quæ Religionem, in qua sumus ἐπόδοξοι, attinent scriptorem agnosco, qui argumentum scrutetur, quam ille, profundius. Parker. modò cit. de Deo p. 88. Hoc unicum in omni sua Philosophia sategisse videtur Malmesburiensis, ut omnes, quotquot videmus, effectus tum naturæ communis, tum humanae, solis materiæ viribus adscribantur. Voët. lib. 2. Bibl. Theol. c. 22. Periculosis, & male coherentibus axiomaticis suis præstantissimam scientiam politicam non parum conturbat. Buddeus Hist. Phil. succincta Delin. p. 91. Hic Machiavelli sub alio schemate Philosophiam iterum in scenam produxit, Principibus nimis favens, eorum potestatem in civium fortunam, vitam, & religionem extendens. Seclatores præter Lambertum Valtburgum nactus est nullos; hostes autem, & censores quamplurimos, Richardum Cumberlandum, Gibertum Coquium, aliosque. Conring. de Civ. Prud. c. 14. in fine: Anglus Hobbes libro Elementorum Philosophorum de Cive edito non dubitavit hisce verbis gloriari: Physica res novitia est, sed Philosophia Civilis multo adhuc magis, ut antiquior non sit libro, quem de Cive scripsi. Insano profecto fastu, &c. Satis autem apertum est in illis quidem de Cive Elementis nihil esse boni, quod non ab omni retro memoria fuerit notum. Ne quidem illud autem potuisset superesse, si præjudicii defectu vidisset Hobbes, quam multum alia deduci debeant ex illo horribili principio: Naturæ inter homines non societatem, sed dissocietatem institutam esse. Et verò illo posito, omnis societas humana contra Naturæ fuerit institutum. Quo asserto nescio numquid possit excogitari absurdum magis, & improbum. Sed relinquimus hominem illum insanienti suæ sapientiæ. A Val. Henr. Vogler. de Stud. homin. corrupt. p. 37. vocatur Nova Sectæ principatus affectator; Pessimus in formandis demonstrationibus artifex, magnus, ac merus plerumque paralogista, &c. Denique hoc de Hobbio judicium tulit Galeottus Galeatus Kalsbergius, teste Joh. Dechker. de Script. Adesp. p. 328. & 329. an. 1686. Famam, quam numerorum, proportionumque scientiæ comparavit, prudentiæ studiis adeo non auxit, ut quoque labefactaverit maxime. Nam justum, & in-**

justum perperam estimat; Legem male definit; Principem impie solvit legē. Civitatem cum adornat, aut deformat, aut evertit. Pactorum religione non multum tangitur. Sociates Civiles non considerat, ut debet; jamque principia nova confignit; jam vetera majori, dubium, libidine, an contradicendi procacitate destruit. Absolutum Principi Imperium afferit. Civem non juri, sed mero Principis arbitrio subjicit, affirmans, faciendum, patiendum, cumfācere, pati, agere, omittere, pro fructu velit, jubeat Princeps. Vereor, ne hac Cyclopica licentia Cyclopicam Remp. condat. Vivat in ea Hobbesius, si velit: nobis longe alia placet, &c. Vide tandem Dissertationem lectu dignam De Statu Naturali Hobbesii, editam à Nicolao-Hieronymo Gundlingio, Academiae Fridericianæ Socio, in qua Hobbesium explicat optime.

Atque hæc de Epicureis Emendatis, sive Gassendistis breviter adnotasse sufficiat. Non me quidem præterit, exstasse, & adhuc etiam exstare alios, qui inter eos recenseri possent; sed quia nihil peculiare hac in re vel excogitarent, vel scripserunt, ut brevitatē studeam, consultō prætermitto.

C A P U T XIII.

Philosophi Cartesiani.

Ad eam jam devenimus novam, ac celebrem Recentiorum Philosophorum Sectam, quæ ut vix lucem adspexit, tot propugnatores, & oppugnatores habuit, quot olim Platonica, vel Aristotelica vix enumeravit. De hac paulo fusius verba facere, & per distinctam *divarsopœdiasitivū* hujus Sectæ doctrinam tradere animus est; ea enim per universum fere Orbem longe, lateque diffusa tot varios motus in literatorum animis excitavit, ut eorum multi eam & lingua, & calamo impugnaverint: plurimi verò & voce & scriptis propugnavent. Fuit autem hujus Sectæ Caput, & Conditor

RENATUS DES CARTES, SIVE CARTESIUS

Nobilis Gallus, Philosophus hujus seculi celeberrimus. In Turonibus natus stirpe fuit in Aragonica, & Pictonibus illustri. A prima juventute studiis deditus, in Philosophia, & Mathematicis stupendos fecit progressus. Arma dein in Germania, & Hungaria feliciter circumfulcit. Hinc Philosophia secessum poscente, Egmontium in Hollandiam concessit, ibi an. 25. commoratus. Edidit h̄ic primo Meditationes Primæ Philosophiæ, quibus cum varia objicerentur, omnibus erudite, & solide satisfecit. Interea ex omnibus Orbis partibus per epistolæ lacescit, ut velut Oraculum quoddam responsa daret. Dein Parisios veniens, à Ludovico XIII. & Card. Richelio invitatus est, ut ibi sedem figeret. Sed Aulam Musis non convenientem ratus, excusavit se. Nibilominus Christinæ Svecorum Reginæ frequenti rogatu Holmiam venit, ut singulis diebus hora quinta matutina in Bibliotheca ejus illam instrueret. Sed paulo post obiit vir incomparabilis an. 1650. æt. 54. Ita Hofmannus Cartesii vitam paucis exhibuit. Nos vero quædam ex ejus Vita typis edita colligentes, his dictis addenda duximus.

Natus est Hagæ Turonum die 31. Martii 1596. Valetudine fuit infirma ad an. usque 20. Octavo ætatis anno Collegium Soc. Jesu ingressus est, ubi humaniorum literarum, & linguarum studia peregit. Scholasticorum Physicam, & Metaphysicam cum haud contente degustasset; contentius Logices, atque Ethicæ

Ethices studiis se addixit. Maxime tamen omnium Mathematicis disciplinis delectabatur; quarum Analyticam summe promovit. Anno 1612. Collegio relieto, cum peracta studia ei non placuerent: anno 1614. Mathesi per biennium se totum addixit. Inde in Hollandiam secedens, militiae nomen dedit, sed tamen nobilium more semper sine mercede, & sub Principe Mauritio, qui postea fuit Aurasiae Princeps, militavit. Bredæ degens, elegantissimum Musices Tractatum composuit. Germaniæ peragrationem suscepit, & Pragæ bello interfuit. Post hæc militia omnino se abdicavit; ac totus in id incubuit, ut opinionibus omnibus, quibus mentem eousque imbuerat, sepositis, nova Philosophiæ, & philosophandi Principia inveniret. Anno 1620. Geometricorum etiam Problematum solutionem, atque Mathesin omnem repudiavit, ut totus Philosophiæ studiis vacaret. In patriam redit, atque inde Parisios; tum in Italiam venit, inde in Galliam revertitur; ubi à Card. de Berulle exstimatorius est, ut suam Philosophiam evulgaret. Anno 1629. in Hollandiam secedit, ac *Meditationes Metaphysicas* componit; Anatomiæque, & Chymiæ studiis animum intendit. A. 1633. suum *de Mundo Tractatum* absolvit: ejus tamen publicationem cavit, Galilæi abjuratione perterritus. A. 1637. suam *Methodum*, *Dioptricam*, *Meteora*, & *Geometriam* publici juris fecit. Graves sustulit persecutio[n]es à G. Voëtio, Ultrajectinæ Universitatis Rectore, ac Theologiæ Professore, magnoque Calvini propugnatore. Cum PP. etiam Soc. J. cum Gassendo, aliisque literarias habuit contentiones. A. 1641. suas edidit *Meditationes Metaphysicas* (contra quas Arnaldus, Gassendus, Hobbius, atque alii scripserunt) & *Principia Philosophie*, quæ Elisabeth, Federici V. Electoris Palatini filiæ, suæque discipulæ dicavit. *Tractatum de Passionibus Animæ*, scripsit; atque *Dissertationem de Natura Amoris*, quæ magnam ei apud Christianam, Svecorum Reginam, gloriam, & existimationem comparavit: unde ab ea per Chanut Holmiam venit, ut dictum, ubi diem obiit; ejusque cadaver inde in Galliam abductum. Sed his de Cartesii Vita, & Libris, adnotatis, pauca ex multis de eo Aut. testimonia adducamus.

Isaac Barrovv. in Opusc. pag. 156. Renatus Cartesius, vir procul dubio optimus, atque ingeniosissimus, ac serior Philosophus, & qui videtur ad Philosophiæ bujus (*De Materia, & Motu*) contemplationem ea attulisse auxilia, qualia fortassis nemo unquam aliis: intelligo eximiam in Mathematicis peritiam; animum, &c. De Cartesii Epistolis ita Dan. Georg. Morhofius in Polyhist. Cartesii Epistolæ plerique Philosophi argumenti sunt. . . . Post ejus mortem ejus editæ sunt Epistolæ in 4. Lugd. Batav. quæ ad viros doctos scriptæ sunt super dubiis Philosophiæ suæ locis. Nullo itaque ex Commentario melius intelligi potest doctrina Cartesiana, quam ex isto, quem præbent Epistolæ. Multa illic proponuntur rariora Naturæ quædatura, in quibus explicandis illic suum exercuit ingenium. Gallica etiam lingua plures scriptæ. Ex Morety Lex. Magn. Histor. Cartesii acumen admiratio[n]i merito fuit. Et sane genitis, qui hoc postremo seculo claruerunt supra vulgus elatissimis accensendus est, ingenii facundi, reconditæque eruditio[n]is. Ejus Systema rite dispositum: Doctrinæ ipsius concatenatio ad ejus scopum tendens, ejusque ordo bene excogitatus deprehenditur. De ejus *Meditationibus Metaphysicis*, & de Methodo, hæc habet Isaac Bullart. in Acad. Scient. Gall. *Meditationes ejus Metaphysicae ad secuti nostri gloriam arguunt*, neminem ante ipsum hoc argumentum (quod scil. Deus existat, Animaque nostra immortalis sit) tam profunde, tam evidenter, tamque solide pertractavisse. . . . Methodus ejus præclarissima Europæ ingenia stupefecit, quæ argumentationibus Scholæ adsettæ, ejus Axiomata prima fronte ægre quodammodo degustaverunt.

De

De Tractatu de Homine sic in Ephemer. Erudit. Gall. 5. Jan. 1665. Hunc Tractatum usque adeo confusum reliquerat D. Cartesius, ut à nemine intelligi posset, nisi D. Clercelier ejus materiem ordine dispositisset; cumdemque D. de Forge, & Guscoven figuris illustrassent. P. Rapinus Animadvers. in Physicam. §. 10. Gall. Denique ut Gentil nostræ, & Cartesii memorie debitam laudem tribuamus, fateamur ejus Physicam, subtilissimis, & absolutissimis recentioribus adnumerandam esse. Curiosas ideas, & egregios mentis conceptus continet; cumque attentius eadem consideratur, melius ordinatum Doctrinæ Systema, quam apud Galilæum, & apud Anglos, in ea reperitur: imo plus novitatis, & inventionis, quam apud GasSENDUM in ea occurrit. Verbo ut absolvam, Opus hæc est, cuius ordo optime excogitatus est. Methodus ejus penitus est Geometrica, quæ à principiis ad principia, à propositionibus ad propositiones procedit. Vide eundem in Philosophiam §. 18. Tandem Buddeus in Hist. Phil. succincta delineat. pag. 86. - - - - - Cùm nulla sibi Secta Philosophiæ arriverit, sepositis per dubitationem omnibus Philosophorum opinionibus, ac verum omnium veritatibus, novum plane ad certissimas, & evidentissimas Mechanicæ leges, quas optime callebat, ut ex ipsis fundamentis rite positis, Philosophiæ Systema construxit.

Reliquum tamen est, ut de Cartesii Sectatoribus, & Oppugnatoribus, quædam hic breviter subnectamus. Buddeus l. c. p. 87. Sectatores habuit Henricum de Roy, Danielem Lipsterium, Adrianum Heerebord, Ludovicum de la Forge, Job. Claubergium, Antonium le Grand, Tobiam Andreæ, &c. Oppugnatores Gisbertum Voëtium, Martinum Schoockium, Jacobum Revium, Cyriacum Lentulum, Job. Schulerum, P. GasSENDUM, P. Poiret, Danielem Huetium, qui acrem in eum strinxit censuram; cui Job. Eberhardus Schwelin-gius, Andreas Pretermannus, & Job. Schotanus se opposuerunt. De Cartesii famæ, & doctrinæ detractoribus ita in Ephem. Erudit. Gall. 31. Jan. 1667. Ultrajectini quidam Theologi Cartesium infamare moliti, publice scripserunt; ejus Philosophiam effreni vitæ favere, & ad Atheismum deducere. Nullo fundamento nitebatur ejusmodi calumnia: nullus enim Philosophus tantam adhibuit operam ad Dei existentiam, & Animæ rationalis immortalitatem demonstrandam; omnesque vitæ suæ actiones tam rite composuit, ut ejus mores Doctrinæ suæ conformes semper fuerint. Illum tamen in publicis Thesibus impie-tatis accusarunt Sed criminacionem prorsus diluit ampla Apologia, in qua apud Ultrajectinos Magistratus de inquisiſiſ judiciis in ſe latiſ conqueri-tur, &c. §.

De Cartesii methodo, ac doctrina plerique non recte senserunt. P. Rapin. in Philosoph. §. 18. Verum quidem est illum dubitationem nimis docere, cuiusmodi exemplar imitandum ingenii natura sua incredulis haud apte proponitur. Alex. Morus in Præf. præf. Euseb. Chron. quamvis affirmet Cartesium commodiū ac felicius Aristotele pleraque in Physicis explicasse, tamen confidentiſſime adjungit: *Nos laudamus Cartesium, Aristotelem admiramur.* Absit invidia dictio: non dicam centum, sed compluria tamen ex summis nostræ ingeniosis in unum conflari oporteret, ut Aristotelem redderent. Sam. Parker. in Disp. 6. de Deo & provid. §. 16. Cartesius omnia in dubium revocari voluit, ut ea ratio-ne summam de omnibus certitudinem investigaret: at exitu tam infelici, ut tan-dem magno sudore, atque majori apparatu nihil, niſi ſe eſſe probaverit.

Denique plura qui cupit de Cartesio, adeat ipsum in Epistolis suis, quibus Historiam vitæ, & Philosophiæ suæ quodammodo nobis communicavit; ejusque Vitæ Scriptores, Danielem Listorium, qui Specimina etiam Philosophiæ Cartesianæ tradidit: Chaunutum, Galliarum Regis apud Svecos Legatum, & Car-

& Cartesii in Soccia amicissimum, qui ejus Vitam exarasse dicitur à Morhofio Polyhist. lib. 1. c. 25. p. 316. quæ tamen adhuc in manuscripto forte lateat, nam nulli visa, ut affirmat Jonsius: Joh. Tepelium, qui libellum de Vita, & Philosophia Cartesii concinnavit, in quo Cartesii Historiam, Scripta, Philosophiam, Oppugnatores, & Propugnatores, & summorum virorum super hac Secta judicia enarrat, quibus suam etiam *exemplorū* addidit: Petrum Borellum, Galliarum Regis Archiatrum, & Philosophum, qui Compendium Vitæ Cartesianæ, ejusque Operum Catalogum edidit: atque Adrianum Bailletum, Belgam Criticum insignem, qui plenissimam Vitæ Cartesii descriptionem vasto volumine composuit; quæ deinde brevior prodiit an. 1693. sub tit. Vita Cartesii in Compendium redacta. De Cartesii verò Philosophia præcipue egerunt Leibnizius; Sturmius, & d'Uries. Pro Cartesio Apologiam contexuit Claubergius. Contra Cartesii Philosophiam scripsit Huetius, cui Regius, aliquique se opposuerunt.

PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ EPITOME.

Cum recentiorem hanc Philosophiæ Sectam per Europam fere omnem longe lateque diffusam erudit plurimi potissimum Mathematici aplexati sint; eaque doctorum nostri ævi ferme omnium mentes, & calamos vel oppugnata, vel propugnata defatigaverit; cumque non pauci vel aliarum scientiarum studiis, curisque variis pene confecti, in hujus Sectæ doctrinam incumbendi ocium non habeant; vel Cartesii Opera Philosophica legendi, quod à Romano Indice prohibita sint, jus amiserint; operæ pretium me facturum esse existimavi, si Philosophicæ hujus Doctrinæ Epitomen ipsis ob oculos ponerem, & quæ à Cartesio, ejusque Sectatoribus scripta sunt, paucis enarrarem.

LOGICA, SIVE METHODUS.

Utans Cartesius, regulas omnes, quas Scholastica Logica ad mentem in veritatum inquisitione dirigendam ad stomachum usque proponit, vanas, & inutiles esse; atque nonnisi ea per hanc Logicam nos edoceri, quæ ignorari non possunt; novam recte utendi Ratione, & veritatem in scientiis investigandi Methodum excogitavit. Et quidem cum Logicæ munus sit Mentem ad veritates inquirendas per rectam ratiocinationem dirigere; omnium Philosopherum conatus is semper fuit, ut varias per Logicam regulas ad rectum rationis usum traderent. Cartesius verò earum loco, quæ multæ sunt in communi omnium Logica traditæ, ad tres Mentis operationes, simplicem scil. Perceptionem, Judicium, & Ratiocinationem pertinentes, quatuor tantum, sed simplicissimas, & intellectu facillimas proponit in sua Dissertatione de Methodo, ubi ait: *Sic pro immensa ista multitudine præceptorum, quibus Logica referta est, sequentia quatuor mibi sufficietra esse arbitratus sum, modò firmiter, & constanter statuerem, ne semel quidem ab illis toto vitæ meæ tempore deflecterem.* His tamen regulis præmittendum duxi, quid, & quotuplex Methodus sit breviter explicare.

Mēθοδος, *Methodus*, quæ alias dici posset Via compendiosa, vel Ratio discendi, & docendi, est *Ars bene disponendi seriem plurimarum cogitationum vel ad veritates ignotas inveniendas, vel notas altis demonstrandas*. Atque hinc Methodus duplex est, altera, quæ veritates ignotas investigat, & dicitur *Anālysis*, *Analysis*, sive *Methodus resolutionis*, ab *ανάλυσις*, resolvo: altera, quæ inventas docet, ac *Σύνθετις*, *Synthesis*, sive *Methodus Compositionis* vocatur,

catur, a ~~convenientiis~~, Compono. Analysis est Particularis applicatio mentis ad id, quod magis notum, & particolare in questione est, ipsam ad ignotum usque successive ducens. Ad rectam Analysis instituendam has tantum 4. Regulas libi sufficiunt, atque aliis etiam sufficietas ait loc. cit.

Primum erat, ut nihil unquam veluti verum admitterem, nisi quod certò, & evidenter verum esse cognoscere; hoc est, ut omnem præcipitantiam, & anticipationem in judicando diligentissime vitarem; nihilque amplius conclusione complectenter, quam quod tam clare, & distincte rationi meæ pateret, ut nullo modo in dubium possem revocare.

Alterum, ut difficultates, quas essem examinaturus, in tot partes dividorem, quo expediret ad illas commodius resolvendas.

Tertium, ut cogitationes omnes, quas veritati querendæ impenderem, certo semper ordine promoverem: incipiendo scil. à rebus simplicissimis, & cognitu facillimis, ut paulatim, & quasi per gradus ad difficultorum, & magis compostarum cognitionem ascenderem; in aliquem etiam ordinem illas mente disponendo, quæ se mutuò ex natura sua non præcedunt.

Ac postremum, ut tum in querendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfide singula enumerarem, & ad omnia circumspicerem, ut nihil à me omitti essem certus.

Præcipitantiam appellat Cartesius illud mentis vitium, quo illa statim de rebus judicat, priusquam scil. illas, quæ ei offeruntur, examini subjecerit. Anticipationem verò, seu Præoccupationem, Præjudicium, & Præventionem, alterum mentis vitium, quo illa non minus opinionibus, quæ à falso principio dependent, acquiescit, quam si ex indubitabili axiomate illud deduxerit. Quod Anticipationis vitium his regulis vitandum docet; si scil. nihil certum esse credamus, vel quia id à præceptoribus didicimus: vel quia communiter id omnes credunt: vel quia ab infantia ei fidem præstamus: vel quia ex principio supposito id verum credimus, quod nunquam examinatum est: vel denique, quia rei ob id solum, quod nova sit, fidem præstamus.

Synthesi, seu Methodo Compositionis utimur ad veritates per Analysis inventas, & jam nobis notas, aliis tradendas. Hæc verò in hoc præcipue consistit, ut ab eo, quod magis simplex, & generale in questione est, ad minus generalia, & composta, ordine progrediamur. Quæ Methodus Geometris familiarissima est in Demonstrationibus, in quibus ea, quæ maximi momenti sunt ex notis, & cognitu facillimis principiis per simplicium veritatum catenam deducunt. Sed his de dupli Methodo adnotatis, reliqua in Cartesi Methodo contenta summatim enarramus.

Breves Moralis Scientiæ regulas ex hac Methodo depromtas exponit. Argumenta item, quibus Dei, & Animæ nostræ existentia demonstrari possit. Sed quia hæc primæ sunt Metaphysicæ Veritates, de iis mox in Metaphysica.

Quæstiones quasdam Physicas à se investigatas ordine enunciat; ubi de motu cordis, atque aliis ad medicinam spectantibus, & de differentia inter animam nostram, & brutorum. Ubi variis argumentis probat, bruta animantia nullam prorsus animam rationis alicujus capacem habere, sed esse mera automata, machinas scil. perfectissimas à Deo fabricatas, in quibus ex varia suorum organorum dispositione ad hanc, vel illam occasionem varios & mirabiles edit natura motus. Tandem proponit quid requiratur ad ulterius philosophandum; & rationes, quæ ipsum ad scribendum impulerint.

M E T A P H Y S I C A.

Notandum primò, Veritatis Κριτήριον, *Criterium*, quod Cicero latine vertit Judicium, non ad solum sensum cum Epicureis, nec ad solam rationem cum Platonicis, sed ad utrumque cum Potamo spectare; de quo sic bene Suidas: *Duo ait Potamus esse instrumenta cognoscendi verum; unum quidem est illud, à quo fit judicium, hoc est, Mens ipsa, quæ primatum in animo tenet; alterum est, per quod fit judicium, ut certissimum visum.* Imò potius sensus non ut rerum judices nobis dati sunt, sed ut ministri, per quos res, non quales in se sint, sed prout nostræ conservationi vel conferant, vel noceant, dignoscamus. Sensuum igitur est non de rebus judicare an sint, ut videntur, nec ne, sed menti repræsentare, adesse objecta, quæ talem efficiunt ideam.

Notandum secundò, Veritatis Χαρακτῆρα, *Characterem*, seu signum veritatis certum, & indubitatum, esse *Evidentiam*; omne enim, quod clare & distinctè percipitur, seu de quo dubitari nequit, verum est. Quod consonare etiam videtur sententiæ Theophrasti, qui ad ferendum judicium in omni perceptione *Evidentiam* supponit. Verum ad vitandos errores in veritatis inquisitione, hoc cavendum monet Cartesius, ne Voluntatem, quæ nullis terminis circumscribitur, Intellectus limites, qui certi, & determinati sunt, exsiliare patiamur; atque ita ab omni judicio ferendo, quod voluntatis est, abstinentiam, donec res ab Intellectu clare, & distinctè concipiatur.

Notandum tertio, veritatem inquirenti semel in vita, quantum fieri potest, de omnibus esse dubitandum. Quod Cartesius haussisse videtur ex doctrina Aristotelis, qui 3. Metaphys. titulum inscripsit: *De Utilitate dubitandi, & de quibus primum dubitare oportet;* & Divi Augustini, qui lib. de Spir. & Anim. ait: *Rerum ergo à consideratione sua omnes notitas, quæ per corporis sensus extrinsecus accipiuntur.* Quæ namque corporalia sunt, eorumque similitudines sensus, & imaginationes in memoria infixæ, cum recordando reminiscuntur, ad exteriorem hominem pertinent. Mens ergo, &c. Hanc tamen Dubitationem non esse referendam ad usum vitae, sed solam veritatis contemplationem, ne antequam dubiis exuamur, agendi occasio præteriret, existimat.

Ex hac, quam sibi finxit, de rebus omnibus dubitatione Cartesius primam hanc veritatum omnium Metaphysicarum educit: *Cogito, ergo sum.* Repugnat enim, id, quod cogitat, & ipso tempore, quo cogitat, non existere. Ac proinde hæc cognitio *Ego cogito, ergo sum*, est omnium prima, & certissima, quæ cuilibet ordine philosophanti occurrat. Quod ex Divo August. ad Evodium desumptum videtur, ubi ait: *Cum utique non esses, omnino falli non posses.* Si igitur, pergit Cartesius, sum, quia cogito, Mentis humanae essentia in Cogitatione consistit, & à Cogitatione ejus pendet existentia; tandem enim est, quandiu cogitat. Quare Mens est *Res Cogitans*, sive *Cogitatio in se ipsa existens*. Quod apte nimis expressit Divus August. lib. 2. ad Evodium, ubi ait: *Cum se nosse Mens querit, Mentem se esse jam novit.* Et lib. 4. de Orig. Anim. *Nihil mibi legis affer, ut vivere me sciam; habet enim mea natura, ut hoc nescire non possim.* Cogitationis autem nomine intelligit ea omnia, quæ nobis conscientiis in nobis sunt, quatenus eorum conscientia in nobis est: sive non modò intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire, hoc sensu acceptum, cogitare est.

Quamvis autem Mens humana etiam *Spiritus*, & *Anima* vocari soleat; si tamen hæc voces rigorose sumantur, variam habent significationem. Et quidem *Mentem* dicimus, cùm ejus essentiam denotamus, prout scil. est res *Cogitans*: *Spiritum* vero, cùm ejusdem essentiam, & existentiam significamus,

rem scil. Cogitantem in se ipsa existentem : *Animam* denique , cùm ejus relationem ad corpus humanum , cui juncta est , exprimimus . Quod etiam Divus August. (cujus Philosophiæ Cartesianam consonare in omnibus Cartesiani putant.) advertit lib. de Spir. & Anim. c. 34. ajens : *Non aliud significo , quam Animam , cum Mentem dico ; sed propter aliud Animam , & propter aliud Mentem ; nam totum , quod homo vivit , hominis Anima est ; cùm verò Animam in se agit se , & ex se , & per se , sola Mens dici solet.*

Mentis Existentia , & Natura sic probatis , ad alias Metaphysicas veritates investigandas ita Geometrico quoddam ordine procedit . *Extra mentem res alias existere* , quæ illi per varios cogitandi modos , quos Ideas appellat , repræsentantur , ut probet , hoc utitur ratiocinio . Si ideæ (Adventitias intellige ; nam Factæ tales sunt in se , quales à nobis finguntur , ut idea Sirenis ; & Innatæ semper veræ sunt , etiam relatæ ad objecta , nam naturali lumine cognoscuntur , ut idea cogitationis , veritatis , &c.) quæ mihi res extra me positas repræsentant , considerantur in seipsis , prout scil. modi nostræ cogitationis sunt , & tunc omnes veræ sunt : æque enim verum est , me has , quam illas ideas habere . Vel considerantur relatæ ad objecta , quæ repræsentant , & tunc in ipsis error esse potest . Quod idem est , ac dicere , ideas omnes duo in se includere , Formalē , seu Proprium (liceat hīc , & alibi sæpe Philosophicis uti communibus verbis , et si non Latinis) quatenus sunt mentis operationes : alterum Objectivum , seu Vicarium , quatenus sunt rei cogitatæ imagines , sive quatenus sunt vice illius : atque hoc sensu idea nihil aliud est , quam res ipsa percepta , sive cogitata , prout est objective in intellectu . Hæ autem ideæ Adventitiae vel ex seipsis sunt , nullamque sui caussam agnoscunt , vel ab alia caussa procedunt . Non à seipsis ; nam si considerantur prout sunt modi cogitationis , à mente producuntur ; si verò relatæ ad objecta , quæ repræsentant , tunc ut effectus necessario aliquam caussam supponunt . Hæc caussa vel ipsa mea mens est , sive aliqua facultas producendi in me has ideas , vel caussam extra me positam dicendum est . Non ipsa mens mea est , nam etiam invitus ideam frigoris , caloris , &c. habeo , ergo à caussa extra me dependent . Firmiori etiam hoc argumento rerum externarum existentiam probat . Hæc ideæ adventitiae relatæ ad objecta , quæ repræsentant , variæ , & ab invicem diversæ sunt . Quæ enim substantias mihi exhibent , majus quid esse , & plus realitatis , sive perfectionis objectivæ repræsentant , quām illæ , quæ modos exhibent : sicque majorem realitatem objectivam habebit , quæ Deum infinitum , quām quæ substantiam finitam repræsentat . Per realitatem verò objectivam ideæ intelligitur entitas rei repræsentatæ per ideam , quatenus est in idea ; eodemque modo dici posset perfectione objectiva , & artificium objectivum . Notum etiam cuique est Philosophicum illud Axioma : *Nihil est in effectu , quod non contineatur in causa formaliter , vel eminenter .* Quibus positis , sic suum prosequitur argumentum Cartesius . Hæc ideæ non sunt nihil , nam nihili nullam habemus ideam ; non ex nihilo , nam nihili nullæ sunt proprietates ; ergo sunt ex aliqua caussa extra me posita . Necesse tamen est , ut saltem tantumdem realitatis formalis continetur in caussa idearum , quantum realitatis , sive perfectionis objectivæ continentur in ideis : si enim aliquid in ideis ponatur , quod in earum caussis non fuerit , id esset ex nihilo . Naturali igitur lumine evidenter perspicuum est , me non esse caussam idearum , sed aliam extra me sitam , quæ formaliter , vel eminenter , vel saltem objective , omnes idearum perfectiones valeat continere .

Dei Existentiam , & Naturam , quam tertiam Metaphysicam veritatem ex facta dubitatione ordine deducit , his probat argumentis . Ex ideis rerum exi-

stentia-

stentium illa una innata mibi est, quæ Ens summe perfectum, Deum scil. re-præsentat. Unde eleganter Plato de Rep. ait: *Idea summi Boni est perfectissimum cognoscibilium, caussa omnis veritatis, sine cuius cognitione nulla est bona operatio.* Sed cùm hæc idea neque ex nihilo, neque à me ipso possit produci; necessariò sequitur, Ens ipsum summe perfectum existere, à quo hæc idea, tanquam à caussa efficiente, producatur. Cum autem necesse sit, ut quantum realitatis objectivæ est in ideis, tanquam in effectu, saltem tantundem sit realitatis formalis in caussa idearum, clarissime naturali lumine educitur, hoc Ens summe perfectum existere, cujus summarum perfectionum ideam habeo. II. Ex idea imperfectionis ideam perfectionis, ac proinde Entis summe perfecti sic educit. Idea imperfectionis ab idea perfectionis dependet; omnis namque idea privationis dependet ab idea positivi: ergo si substantias omnes, sive corporeas, sive incorporeas imperfectas agnosco, aliquid Ens dari debet, quod his omnibus careat imperfectionibus, & contra contineat omnes in se perfectiones, quarum prima, & maxima, existentia est. Imò videtur prior quodammodo Idea Entis summe perfecti, quam cùjusque Entis imperfecti, cum prior sit idea positivi, quam privativi. III. Probatur Deum existere ex eo, quod ego jam existo: meam autem existentiam satis supra probavi. Si ego à me existerem, dedissem mihi omnes perfectiones, quarum prima, & maxima est existentia, ac proinde non dubitarem, non optarem, non errarem, omnia scirem, &c. ergo sum ab alio. Si ab alio, vel hic ab alio non dependet, & Deus est; nam si habet potestatem à se existendi, quod majus est, habet etiam potestatem dandi sibi omnes perfectiones, quod minus est. Vel ab alio dependet, & de hoc rursus quæro, an à se existat, vel non: & ne ad infinitum procedatur, veniendum ad Ens summe perfectum, quod à se sit. Atque hæc sunt tria illa argumenta, quibus Cartesius Dei existentiam probavit.

Si quis tamen objiciat, nos ad cognitionem Entis infiniti non posse pervenire, nisi per ideam infinitam, quod est impossibile, cum mens nostra finita sit; Respondendum ait, mentem nostram non per ideam infinitam absolutam Deum cognoscere, quam Deus solus, qui infinitus est, habet, per quam scil. omnes infinitæ Dei perfectiones, ut in se sunt, comprehenduntur; sed per ideam infinitam respectivam, quæ scil. repræsentet nobis omnes perfectiones Substantiæ infinitæ, sed eas omnes, quas mens in Ente infinito concipere potest. Nunc enim videmus, & cognoscimus Deum tanquam *per speculum in ænigmate*, *illuc autem videbimus eum, sicuti est*; quæ Pauli Apostoli verba sunt. Atque hinc etiam fit, ut Deus per suas perfectiones describi quidem quodammodo possit, definiri non possit, cum incomprehensibilis sit, ac genus, & differentia in eo dari nequeant.

Quod attinet ad hæc, P. Malebranche de Inquirenda Veritate lib. 3. c. 7. quamvis Cartesii ceteroqui sectator, negans, posse Ens infinitum, immensum, & universale, percipi per ideam, hoc est, per ens speciale, per ens differens ab Ente universali, & infinito, afferit, Deum videri per seipsum; imò & ipsum solum sic videri posse, quia solus mentem penetrare, & ipsi se prodere potest. Solùm igitur Deum, qui per propriam suam substantiam mentem illuminat, mentem videre, ait, visu immediato, & directo; reliqua verò omnia in ipso videre per unionem, quam cum ipso habet: ut fusi apud cit. Malebranche.

Corporis Existentiam, Naturam, & realem à Mente Distinctionem sic probare conatur Cartesius. Dixi, probare conatur, nam Metaphysica hæc veritas probatu per quam difficilis putatur, ut advertit cit. P. Malebranche l. i. c. 10. & alibi, licet hæc veritatum omnium certissima sit, quia quidquid cor-

pus est, per sensus clarissime cognoscitur; verum non clarissime probatur; sensus enim, ut supra notavimus; veritatis judices non admittuntur. Sed ad probations. Mens non solum per Puram Intellectionem ideas habet, de quarum objectis, quod vere existant, jam amplius dubitare non licet; verum etiam per Imaginationem, & Sensationem ideæ in ipsa excitantur. Harum idearum prima, & notior ea est, quæ Extensionem in longum, latum, & profundum mihi repræsentat. Sed non ex hoc solum, quod sit in me talis idea, concludere possum, hanc Extensionem extra me vere existere. Pro cujus veritatis inquisitione hac utendum Analysis. Præter ea, quæ ad probandam existiam rerum extra mentem supra sunt dicta, & quæ ad hanc veritatem probandam plurimum faciunt, quæri posset hic, cur hæc idea Extensionem potius, quam aliud quid mihi repræsentat? nempe quia sic à sua cauſa, à qua determinatur, procedit; omnis enim effectus suam causam supponit. Hæc cauſa vel ego sum, vel Deus, vel ipsa Extensio. Non ego, quia hæc Extensionis idea nullam plane intellectionem præsupponit, in qua mea natura posita est. Insuper cum in me sint quoque ideæ repræsentantes quasdam alias Extensionis facultates, ut locum mutandi, varias figuræ induendi &c. si hæc ideæ substantiae modi sunt, manifestum est, nonnisi in substantia corporea, sive extensa inesse debere, non autem in substantia intelligente, cum nulla intellectio, sed aliqua potius extensio in ipsarum claro concepiu contineatur. Est igitur in me passiva quædam facultas sentiendi, sive ideas rerum sensibilium percipiendi: ergo necessariò dari debet facultas activa, quæ earum cauſa sit. Hæc activa facultas vel in me est, vel in Deo, vel in Extensione. Non in me, cum quia mens mea continere nequit omnes illas proprietates, quas Extensionis idea formaliter continere debet; omnis enim cauſa formaliter continere debet omnes effectus proprietates: tum etiam quia sæpe me non cooperante, imo etiam invito, hæc ideæ in me repræsentantur. Quomodo insuper mens unquam poterit ex se earum rerum ideam producere, quarum cognitio, cum in cognitione, & potestate suæ naturæ non sit, nullimode ab ipsa dependet? Non Deus, vel aliqua creatura corpore perfectior Extensionis ideam in me producere potest, corpore, sive Extensione actu non existente: nam si Deus, vel alia quævis creatura hanc ideam mihi immediate immitteret, fallax esset, quod de Deo impium, & *ἀλογον* est cogitare; hæc namque idea non corpus, sed nihil repræsentaret.

Contra tamen hypermetaphysicus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 3. c. 1. art. 2. has rationes nihil certi demonstrare dicens, afferit, nos omnia in Deo videre per unionem, quam habemus cum hoc Ente perfectissimo, quod rerum omnium creatarum perfectiones, continet; hoc est, nos in una Dei idea videre quæ in ipso sunt, quæ tamen ipse vult nos videre. Atque hoc sensu Deus non solum prima, sed etiam immediata cauſa idearum esset.

Superest igitur, ut res corporeæ omnino existant, quæ per sensuum organa nonnisi mediis ideis à mente percipiuntur. Quæ veritas in hoc potissimum sita est, quod proprietas idearum repræsentandi potius hanc rem, quam illam, necessariò supponit objectum actu existens, quod omnes proprietates, quas ideæ repræsentant, formaliter debet continere. Neque dicas exinde deduci, etiam ideam Chimæræ habere pro objecto Chimæram actu existentem. Nam idea Extensionis naturalis est, clara, & à mea mente independens, ut omni mentis conatu illam deponere non possim; contra vero ideam Chimæræ artificialis est: omnes autem ideæ artificiales à naturalibus formantur per additionem, subtractionem, &c.

Atque hinc colligit Cartesius, *Corporis Naturam in Extensione in longum,*

gum, latum, & profundum consistere: hæc enim est, quæ primo adspicere in corporis idea repræsentatur, hæc omnium primò menti occurrit; imo hæc vere est, quæ ejus essentiam constituit: possumus namque corpus sine motu, quiete, figura, colore, &c. concipere; non possumus vero nec etiam mente à corporis conceptu conceptum Extensionis separare.

Ad hæc verò P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 3. c. 7. art. 4. ait, *Corporis Naturam perfectius cognosci, quam Mentis, quamvis distinctius cognoscamus existentiam Mentis nostræ, quam corporis nostri, ac reliquorum.* Idque ex hoc, quia *Corpora videmus per proprias ideas, quæ omnes proprietates rerum, quas repræsentant, includunt; secus verò nostram Mentem, quam nec per propriam ideam, nec in Deo videmus, sed per propriam conscientiam cognoscimus; atque hinc cognitio, quam de illa habemus, est imperfecta, quia id tantum de Mente nostra scimus, quod sentimus agi in nobis.* Contra hæc Malebranche de Ideis vide Arnald. De ver. & fals. Id.

Denique *Mentem, & Corpus realiter distingui* sic probat: Illa realiter distinguuntur, quorum unum sine alio clare & distincte concipi potest, sive quorum non una, sed diversa est natura: sed *Mentem sine Corpore clare & distincte concipio, quia Mentis natura in Cogitatione, Corporis in Extensione reponitur: Ergo Mens, & Corpus duo sunt realiter distincta.*

Unio Mentis cum Corpore, & cum Deo, in quo consistat, res quidem ut cognitionum omnium pulcherrima, jucundissima, & maxime necessaria, ita omnium minus explicari, imo & percipi potest. Hinc Divus Augustinus eam vocat mirabilem, ineffabilem, incomprehensibilem in pluribus Operum suorum locis, præcipue de Civ. Dei lib. 21. c. 10. ubi: *Modus, quo corporibus adhæret Spiritus, & animalia sunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* Ut autem arctissima hæc *Mentis cum Corpore Unio, per quam unum id efficitur, quod homo appellatur, à Cartesianis explicetur, notandum monent 1. veram unionem non esse, nisi inter res realiter distinctas, hoc est inter duas substantias: unde sequitur, omnem veram unionem esse vel inter Corpus, & Corpus, vel inter Mentem, & Mentem, vel inter Mentem, & Corpus.* Notandum 2. omnem veram unionem consistere in mutua dependentia rerum unitarum inter se; quæ dependentia in attributis relativis reponitur. Sic *Corpus Corpori unitur per mutuum superficiei contactum: duæ Mentes unitæ tandem sunt, quandiu cogitationes unius à cogitationibus alterius dependent: Corpus denique, & Mens unita dicuntur, cum Motus illius ab hujus cogitationibus, & hujus cogitationes à mentibus illius dependent.*

Quibus notatis, è *Cartesianis Sylvanus Regis in sua Metaphysica* ait, hanc mutuam, arctissimamque *Spiritus cum Corpore Unionem* consistere in mutua, & actuali dependentia omnium cogitationum *Mentis ab aliquibus Corporis motibus, & motuum Corporis quorundam ab aliquibus cogitationibus Mentis.* Cujus etiam sententiae fuisse videtur Claubergius, qui hujus Unionis essentiam ponit in actuali concursu, & commercio suarum operationum. A quibus hoc tantum differt Ludovicus de la Forge in suo eruditissimo Tractatu de Mente Humana c. 13. quod hanc Unionem ipse ponat non in actuali, sed tantum mutua, ac reciproca dependentia cogitationum unius à motibus alterius; & vice versa: & in mutuo commercio actionum, passionumque suarum, sive ipsa Voluntas *Mentis, quæ unita est, sit causa hujus dependentiae, sive alia Voluntas, ipsa superior.* Idem de la Forge postquam rerum omnium unionem quæsivit in attributis relativis, aut respectivis; omniaque non nisi per actionem, & passionem uniri dixit, subdit, hujus Unionis vinculum Voluntatem esse; sic enim loc.

loc.cit. Præterea invenio conjunctionem localēm pro vinculo; quod inter corpore locum habet; quæ ea reddit capacia agendi, & patienti dependenter à se mutuò; amorem pro vinculo duarum mentium; & postremo Voluntatem pro unione Mentis, & Corporis, quatenus hæc Voluntas extra suum subjectum procedit per suas operationes. Unde dici posset Anima esse in Corpore, ut Deus est in Universo; ut enim hic per suam Voluntatem omnia movet, & agit, ita Anima per suam Voluntatem movet Corpus, cui unitur. Doctissimus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 2. part. 2. c. 3. hæc habet: *Unio Mentis cum Corpore, quantum quidem illam cognoscere possumus, consistit in mutua, & naturali analogia, &, ut ita dicam, correspondentia cogitationum Mentis cum vestigis cerebri, & affectuum Mentis cum motibus spirituum.* Sunt & alii inter Cartesianos, qui ajunt, sœdus illud Mentis, & Corporis fieri ope alicujus modi, quem appellant Unionem, qui glutinis instar has duas substantias connectat. Sed quid nomine hujus modi, quem Unionem vocant, intelligant, jam satis non explicant.

Causa verò hujus Unionis vel Corpus, vel Anima, vel utraque simul, vel Ens ipsis superius, hoc est, Deus esse debet. Non in Anima, nec in Corpore solum, nam etsi utraque satagant ipsam conservare, tamen dissolvitur. Non in utrisque simul, nam cum hæc Unio ipsis accidentalis sit, necessariò à causa exteriori procedere debet, quæ non nisi Deus esse potest, qui per suam voluntatem id fecerit. Neque objicias, quod inde sequeretur, hanc Unionem fore indissolubilem, cum Dei voluntas immutabilis sit; Deus enim non nisi prima, & mediata causa hujus Unionis est; immediata verò, & secunda ejus causa sunt corporis organa; quæ quia essentialiter obnoxia sunt mutationibus, ideo hæc Unio dissolvi potest. Deus igitur Mentem creavit, & per ejusdem Mentis voluntatis vinculum hac lege Corpori junxit, ut ex quibusdam corporis motibus quædam excitarentur in Mente passiones, sive cogitationes, & contra talibus Mentis cogitationibus tales Corporis motus responderent.

*Unio Mentis cum Deo modo longe strictiori, & magis essentiali; quam cum Corpore est, nam *In ipso vivimus, movemur, & sumus*, ut est his verbis optimè expressum in Act. Apost. 17. 28. quæ veritas claro etiam mentis visu percipitur. Hæc tamen Mentis unio cum Deo non ejusmodi est, ac duarum mentium; non enim illa, sicut & illa, necessariam, ac mutuam rerum unitarum dependentiam importat: Mens namque Corpori quidem per unionem Physical, quæ in mutua dependentia agendi, & patienti invicem consistit, Deo verò per unionem Moralem conjungitur, in qua mutua illa dependentia non est. Homo itaque etsi Deo unitus, libere tamen agit; Deus autem libere magis, & ab homine prorsus independenter. Est igitur hæc Unio in eo reposita, quod nos arctissime Deo, ut effectus suæ causæ, uniamur, quatenus in ipso sumus, & existamus dependenter ab ipso; non verò contrà.*

*Ex ipsa Animæ natura jam supra considerata, quod Substantia Spiritualis sit, sive res cogitans, in se ipsa existens, clarissime etiam ejus *Immortalitas*, educitur. Quod vel hoc arguento aperte demonstratur. Si destrui posset, vel à se ipsa, vel ab alia substantia creata destrui deberet. Non à se ipsa, nam, ut apud Philosophos axioma est, omne tendit semper ad sui conservationem, nunquam verò ad sui destructionem. Non ab alia substantia creata, anima enim considerata secundùm suum esse absolutum substantia est: sed de substantia es- sentiale id est, ut existat independenter ab aliis; ergo ab aliis substantiis creatis, à quibus independenter existit, destrui nequit. Si igitur neque à se, neque ab aliis substantiis creatis destrui potest, est Immortalis. Neque à Substantia Increata, hoc est, à Deo destrui potest, modò de ordinaria, non de extraordinaria.*

naria Dei potestate id intelligatur. Vide etiam D. August. de Immort. Animæ, & Epist. 5. ad Volusianum.

Tres vulgo Facultates Animæ tribuunt, Intellectum, Memoriam, & Voluntatem; duas tantum Cartesius, Intellectum, & Voluntatem: Memoriam enim ad Intellectum reducit: nam sive præterita, sive præsentia, sive futura Anima cogitet, semper æque cogitare, & percipere est; nec reminisci aliud est, quam cogitare, vel imaginari præterita. Cujus sententiæ fuisse etiam dicitur Divus August. lib. de Spir. & Anim. c. 7. ubi ait: Sunt enim duo in Anima, & sunt id, quod Anima, Naturalis sensus cognoscens omnia (sive Intellexus) & dijudicans inter omnia (hoc est Voluntas) naturalis effectus, &c. Et de Metaphysica satis.

PHYSICA.

Cartesius Princip. Philosophiæ parte 2. art. 64. Physicæ Principia non alia admittenda, vel optanda esse docuit, quam quantitatem. Ibi enim ipse postquam in discipulis suis Geometriæ aliquam notitiam, vel saltem ingenii aptitudinem ad Mathematicas demonstrationes intelligendas supposuit, hæc subdit: Nam plane profiteor, me nullam aliam rerum corporearum materiam agnoscere, quam illam omnimode divisibilem, figurabilem, & mobilem, quam Geometriæ Quantitatem vocant, & pro objecto suarum demonstrationum assumunt; ac nihil plane in ipsa considerare præter istas divisiones, figuræ, & motus: nihilque de ipsis verum admittere, quod non ex communibus illis notionibus, de quarum veritate non possumus dubitare, tam evidenter deducatur, ut pro Mathematica demonstratione sit habendum.

Sua in philosophando Methodus talis est. Quum corporis alicujus particula-
ris naturam demonstrare vult, primò omnes illius effectus considerat, ut ex ip-
sorum consideratione ad eorum caussas cognoscendas facilius possit pervenire.
Sed quia ad caussarum notitiam difficile pervenimus, nisi quasdam Hypotheses
efformemus; in corpore, cuius jam effectus examinavit, talem figuram, ta-
lem magnitudinem, talemque partium dispositionem supponit, quæ clarissi-
me videat relationem quandam necessariam habere cum effectibus, à quibus
dependent, ut possit inde concludere, corporis illius naturam in tali magni-
tudine, tali figura, ac tali partium dispositione consistere. Debent autem
omnes, quæ in Physica efformantur, Hypotheses ita à se invicem, & omnes
à primis veritatibus penderè, ut unum inde Systema efficere videantur.

Primiæ in Physica Veritates, à quibus, juxta Cartesium, reliquæ omnes pen-
dunt Physicæ Veritates, sunt: Est quædam natura Corporea, quæ in seipso
existit: Hæc, considerata secundum Magnitudinem, idem est, ac Quantitas:
Hæc Quantitas ex sua natura divisibilis est, & actu divisa per motum localem:
Motus localis non nisi certis quibusdam legibus perficitur: Secundum has leges
partes Quantitatis varias figuræ receptorunt: Demum secundum varias has
figuras corpora physica, ex his composta, capacia sunt producendi varios ef-
fectus.

Corporis, seu Quantitatis Essentia, sive Natura in Extensione in longum,
latum, & profundum consistit. Si enim rei cuiusque natura per illud ejus es-
sentiæ attributum constituitur, quod illi omni, soli, & semper competet;
& quod omnium primo in ipsius conceptu veniat, ac quod ab alio non
dependeat, sed ab ipso dependeat omnia; ex omnibus Quantitatis attri-
butis essentialibus Extensio sola est, quæ ejusmodi sit: nam licet Impene-
trabilitas, Divisibilitas, & Figura etiam Quantitatis Attributa Essentialia sint,

eique omni, soli, & semper competant; non tamen primo adspectu in Quantitate veniunt consideranda; Extensionis enim idea nec mente quidem ab idea Quantitatis separare possumus, contra verò reliquorum ideam ab idea Quantitatis possumus separare.

Quantitas, Corpus, Materia, re quidem idem sunt. Hæc est omnis Physices illius Principium. Hæc etiam à quibusdam *Materia Prima* dicitur, quatenus consideratur ut subjectum omnium formarum, & modorum. Omnes autem formæ respectu Materiæ per eum sunt accidentales, & nullæ dari possunt formæ substantiales, licet ratione compositi essentiales vocari possunt. Hinc omnes formæ sunt materiales, & invicem transmutari possunt. Materia omnis considerata secundum suas partes, per quas metiri eam possumus, dicitur *Totum*. Tотius partes vel sunt *Aliquotæ*, quæ scil. Totum exacte metiuntur: Velsunt *Aliquantæ*, quæ Totum exacte metiri non possunt; vel *Proportionales*, cum Totum proportionaliter dividitur in duas partes æquales, & hæc rursus in alias æquales, &c.

Omnis Quantitas Impenetrabilis est, Figurabilis, & Divisibilis in indefinitum. Infinitum inter, & Indefinitum, ex Cartesio, hoc distat, quod Infinitum sit, cuius nulli prorsus sunt limites; Indefinitum verò, cuius limites mente invenire non possumus. Quum Cartesius ait, omnem Materiam dividi posse in partes indefinitas, Proportionales intelligit; corpus enim omne dividi potest in duas medietates, & harum una rursus in duas medietates, & sic in indefinitum. Partes tamen sive *Aliquotæ*, sive *Aliquantæ* semper finitæ sunt.

Ex hac doctrina Divisibilitatis Materiæ in Indefinitum per suas partes Proportionales clarissime educi afferit, nullas dari posse *Atomos*, sive particulas minimas indivisibiles: cùm enim extensa has Atomos esse necesse sit, nam sunt corpora, ac proinde habere partes extra partes, quæ variis loci punctis respondent; harum unam ab alia distinctam, & independentem concipere possumus, ac si non instrumento ob ejus exilitatem, mente saltem possumus per medietatem in indefinitum dividere; quod sufficit, ut sit divisibilis.

Corporis Rarefactio fit, cùm corpus aliquod extraneum corporis alicujus poros intrans, ipsius partes invicem quodammodo separat, ac majus spatium occupare cogit: major autem illa *Quantitatis Extensio* ab Extensione novi extranei corporis, priori superaddita, procedit. Contra vero *Condensatio* fit, cum corpore illo extraneo à prioris corporis poris emuncto, partes invicem accedunt, & sic minor *Corporis Extensio* videtur, extranei corporis extensione sublata.

Locus, & Spatium non differunt à corpore, quod dicitur esse in loco, nisi ex parte nostri conceptus, re tamen idem sunt. Locus autem duplex est, *Internus* unus, qui idem est, ac Spatium; *Externus* alter. Locus Internus, seu Spatium à corpore in eo contento in re non differt; Spatii etiam natura, sive *Essentia*, non secus ac corporis, per Extensionem in longum, latum, & profundum constituitur. Spatium itaque non est nisi corporis Extensio, prout est talis magnitudinis, & figuræ, ac talem situm inter corpora externa, quæ illud immediate circumstant, & tanquam quiescentia spectantur, occupat. Locus *Externus* vel sumitur pro superficie corporum, quæ proxime locatum ambiat, vel sumitur pro relatione ad corpora immobilia, quæ locatum circumstant; & tunc dicitur etiam *Situs*. Nomina autem *Superficiei*, quæ pro Loco Externo sumitur, non venit pars ulla corporis ambientis, sed purus modus, sive terminus inter corpus ambiens, & ambitum, qui non sit pars unius corporis magis, quam alterius. Situs igitur proprie est respectus, sive relatio corporis locati ad corpora, quæ illud circumstant, & tanquam quiescentia spectantur. Potest

Potest igitur corpus situm non mutare, etsi corpus illud ambientis superficies mutetur.

Vacuum neque Separatum, neque Disseminatum, neque Coacervatum dari posse ex modò dicta Loci, seu Spatii natura, quæ in Extensione in longum, latum, & profundum consistit, educit Cartesius. Unde cùm Corporis, & Spatiī natura in Extensione consistat, & in re idem sint; idem erit dicere dari Spatiū sine Corpore, hoc est, Vacuum, ac dari Corpus absque Corpore, quod manifestam implicat contradictionem. Quod hoc etiam argumento probat Cartesius: Vacuum vel est nihil, vel aliquid. Non est nihil, ergo est aliquid. Si aliquid, vel modus est, vel substantia. Non modus, nam modus concipi nequit sine substantia, cuius est modus: contra verò Vacuum per se concipitur. Si substantia, vel spiritus est, vel corpus. Non spiritus, quia spiritus nullam habet extensionem. Ergo erit corpus. Si dari, imò & concipi nequit Vacuum, nullus quoque erit Naturæ Horror, Metus, & Fuga à Vacuo; metus enim impossibilia non cadit. Omnes autem mirabiles effectus, & experimenta, quæ Naturæ metui à Vacuo vulgo tribuuntur, per aëris pressionem, & pondus, & per circularem illum motum, sive Circumpulsionem in omni motu necessariam, debent explicari.

Motus (quod alterum ab eo ponitur rerum naturalium *Principium*, & quidem *Activum*, sicut *Materies Principium Passivum*; à Motu enim Materiæ divisio, figura, formæ, omnesque, ac variæ ejus proprietates ortum habent) definitur à Cartesio *Princip. Philos. part. 2. art. 25. Translatio unius partis materiæ, sive unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate circumdant, & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Sylvanus Regis *Phil. lib. 1. part. 2. cap. 1.* Motum sic definit: *Est applicatio successiva activa corporis secundum totum id, quod habet exterioris diversis partibus corporum illud immediate contingentium.* Contra verò *Quies* definitur: *Applicatio constans eiusdem partibus, seu Applicatio Successiva, sed Passiva corporis secundum totum id, quod habet exterioris, diversis partibus corporum, quæ ipsum immediate contingunt.* Magnum quorundam etiam Philosophorum præjudicium est, quod *Quies* non sit, nisi cessatio à Motu; ac proinde nullam ad Quietem vim requiri: eadem enim, vel saltem non multo minor vis requiritur ad inducendam corpori Quietem, quam Motum; ut videri potest ex hoc, quod eadem ferme vi opus sit ad navim in aqua stantem movendam, quam ad eandem, dum movetur, subito retinendam. Error autem in hoc consistit, quod propriam corporis gravitatem, & aëris pressionem, quæ ad Quietem urgent, non sentimus: contra verò corporis gravitatis, & externæ aëris pressionis resistentia nonnisi vi aliqua sensibili superanda est.

Motus est vel *Communis*, vel *Proprius*. *Proprius* dicitur, qui fit propria vi, & actione (quamvis hæc vis, & actio in mobili impropre esse dicatur, cùm potius moventis sit, quam mobilis: sic tamen dicitur, quia vis illa agentis in mobili perseverare putatur). Atque huic competit definitio *Motus* modò tradita. *Motus Communis*, sive *Lationis* dicitur, cùm non propria vi corpus movetur, sed ab alio transfertur, absque eo quod situm mutet; qui *Translatio* potius, quam *Motus* dicendus est, ut cùm quis in navi sedens de loco in locum transfertur. Qui *Motus Communis* species potius *Quietis* est, quam *Motus*; & ne dum *Quieti* non opponitur, sicuti *Motus Proprius*, qui tantum *Motus* dicendus est, sed nec etiam *Motui Proprio*.

Nulla sunt corpora, quæ ex se moveri possunt. Quod his probat argumentis Cardemoy *Dissert. 4. de prima causa motus, à Malebranche petitis.* I. Res ex se non habet, quod amittere potest, integra manente ipsius natura: sed cor-

pus potest amittere motum , absque eo quod desinat esse corpus : ergo nullum corpus motum ex se habet. II. Si corpus motum ex se haberet, etiamsi ex aliqua causa illum amitteret, iterum producere posset: sed non producit: ergo motum ex se non habet . Quum duæ tantum substantiæ sint, Corpus scil. & Spiritus, omnium effectuum causa vel Corpus, vel Spiritus esse debet; necesse enim est, ut omnes effectus aliquam ex his substantiis pro causa agnoscant: sed ex demonstratis Corpus nequit esse causa motus: ergo Spiritus tantum Corporis motor erit.

Primam autem Motus causam non quemvis Spiritum creatum esse, sed Spiritum increatum, æternum, infinitum, hoc est, Deum tantummodo esse. Sic probare conatur acutissimus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 6. part. 2. cap. 3. - - - Sed si Spiritus creati ideam examinemus, nulla omnino connexio inter Spiritus voluntatem, & corporis motum apprehendetur. Concludendum est ergo, si lumina nostra sequi velimus, à nullo Spiritu creato, & finito motum produci posse, quemadmodum corpora seipsa minime movere conclusimus. Dei tamen, hoc est, Entis summe perfecti, ac proinde omnipotentis, ideam contemplantes videmus, tantam esse connexionem inter ejus voluntatem, & omnium corporum motum, ut impossibile sit omnino, ut velit, corpus aliquod moveri, & non moveatur. Dicere ergo debemus, à sola ejus voluntate motum produci, atque vim moventem corporibus motis non inesse, cum ea nihil sit præter Dei voluntatem. Dicitur tamen globus causa Naturalis motus, quem communicat corpori, cui occurrit, non Realis, cum communicare non possit, quod in se non habet. Sed causa Naturalis non est causa Realis, & vera, sed tantum Occasionalis, qua Autor Naturæ ad agendum illo, vel hoc modo, hac, vel illa occasione determinatur. Quod autem nulla sit inrer Spiritus creati voluntatem, & corporis motum connexio, hoc potissimum argumento confirmat: quod etsi ad brachium nostrum movendum, exempli gratia, Spiritibus animalibus, qui per certos nervos ad tales musculos contrahendos mittendi sunt, opus sit; cum hæc omnia æque ignorantes illud, ac anatomes peritissimos movere videamus; clarum est, inquit, non esse Spiritus voluntatem, quæ corpus moveat, qui nescit quomodo, vel qua lege illud movere debeat, sed solam Dei voluntatem, qui potest, & novit illud movere. Deus igitur ad Spiritus voluntatem corpus movet, & Spiritus voluntas Naturalis tantum, sive Occasionalis causa motus est. Spiritus voluntatem, Naturalem, sive Occasionalem causam vocat cit. Autor, non Instrumentalem, ut vulgo: Deus enim ad agendum instrumentis non eget, sed omnia per solam suam voluntatem, quæ efficax est, operatur.

Deus, ait Cartesius, prima causa Motus est, qui Materiem simul cum Motu, & Quietem creavit: in qua Materia eandem semper Motus, & Quietis quantitatatem perseverare vero simile est: quod facile concipitur, si confidetur, Deum non solum in seipso immutabilem esse, sed etiam constanti, immutabilique semper modo operari; iis mutationibus exceptis, quæ sine ipsius mutatione fiunt. Tantam itaque Motus, & Quietis quantitatem Deum creasse supponendum est, quantum ad Universi conservationem necessariam duxit.

Motus Proprietates Essentialis sunt Celeritas, Determinatio, & Quantitas. Celeritas dicitur relatio illa, quam habet Spatium, per quod mobile fertur, cum tempore, quod in hoc percurrendo consumitur. Determinatio est relatio, quam habet mobile ad plagam, versus quam movetur: quæ Determinatio in motu quidem perpendiculari simplex est, in obliquo composita. Quantitas motus dicitur vis illa, quam habet mobile, seu potius mobili agens impressit, ad superandam resistentiam corporum circumfitorum usque ad locum, in

in quem determinate movetur: atque haec absolute, vel respective major, vel minor est. Quantitas motus cum Celeritate non confundenda; Quantitas enim ad corporis molem, celeritas ad spatum percurrentum, & tempus, refertur. Potest materies, eandem motus Quantitatem conservando, nunc tardius, nunc celerius moveri, ut videre est in aqua majus, vel minus spatum percurrente.

Omnes Motus sunt Pulsione. Motus enim, quos quidam sibi finxerunt, *Sympathiae*, *Antipathiae*, *Tractionis*, & *ob fugam Vacut*, nec sunt, nec esse possunt. Sic quidam ad miro quosdam motus explicandos, quorum & modum, & rationem ignorabant, has nudas voces, ignorantiae effugium, invenerunt: eum contra per solam Pulsionem omnes motus, etiam *Tractionis*, & *Suctionis* dictos, explicare quis posset. In omni autem motu *Circulus*, sive *Circularis* *Pulsio* fieri debet. Qui circularis motus, quia à Platone in Timæo etiam expressus est, *Platonica Circumpulsio* etiam dicitur.

Motus Leges Naturales tres sunt. Prima. *Omne quod movetur, quantum in se est, semper moveretur, nisi ab alio in motu turbaretur.* Quæ lex à naturali illo principio deducitur, quod unaquæque res, prout est simplex, & indivisa, quantum in se est, semper maneat in eodem statu, nec unquam mutetur, nisi à caussis externis; aliàs novus hic status à nihilo esset, quod est absurdum. Hæc autem caussa motum turbans tum visibilis, tum quæ visum effugiat, esse potest, ut aër, &c. Falsum hinc evincitur illud quorundam, etiam Philosophorum, effatum, quod omne, quod movetur, tendat ad quietem: nam cum Motus Quietis opponatur, contra naturæ leges id esset, ut aliquid ad suum oppositum, sive ad sui destructionem ex se tenderet. Accedit, quod motus corporis modus est, ut figura, color, &c. sed omnes hi corporis modi semper tales in corpore perseverant, donec ab aliqua caussa extrinseca mutantur: ergo sic etiam motus. Motus igitur in mobili tardi durabit, quan- diu motus Quantitas in projecto potis erit superare aëris, aliorumque corporum circumitorum resistentiam. Notandum hic, motus Quantitatem in corpore considerari relate ad suam molem; ambientium verò corporum resistentiam relate ad suam superficiem. Hinc corpora majora diutius in motu perse- verant, quam minora, et si pari motus Quantitate cieantur, quia illa sub ma- jori mole minorem continent superficiem. Atque hinc etiam est, quod cor- pus sphæricum diutissime omnium corporum aliter configuratorum in motu per- severet, quia sub sphærica superficie reliquis aliis figuræ corporibus maxime major corporis moles continetur.

Secunda naturæ lex est. *Omne, quod movetur, semper tendit moveri per lineam rectam.* Quod sic probat. Immutabilitati, & simplicitati Divinæ operationis consonat, ut mobile ad plagam suæ determinationis breviori via, faciliorique modo perveniat: Sed linea recta est omnium brevissima, quæ à puncto loci, à quo, ad punctum loci, ad quem, duci possunt: Ergo per li- neam rectam moveri debet. Hoc etiam confirmatur experientia; nam quid- quid circulariter movetur, semper conatur recedere à centro motus per tangen- tem circuli; ut videre est in lapide per fundam rotato; cuius conatum receden- di à centro ipsa etiam manus sentimus.

Tertia naturæ in Motu lex: *Si corpus, quod movetur, alteri occurrat, si quidem habeat minorem vim ad pergendum per lineam rectam, quam hoc aliud ad ei resistendum, tunc in aliam partem deflebitur, & suum motum inte- grum servando, solam motus determinationem amittet. Contrà verò, si illud maiorem habeat vim ad pergendum secundum lineam rectam, quam hoc ad ei resistendum, tunc corpus in motu existens, secum hoc aliud movendo, tantum de*

de suo motu deperdet , quantum ei tribuet . Sub qua lege continentur omnes causæ particulares mutationum , quæ corporibus accidentunt , saltem eæ , quæ sunt corporeæ . Quo autem pacto singula corpora in aliorum corporum occursum motus suos augeant , vel minuant , vel in totum , vel in partem convertant , longo calculo , multisque regulis determinavit Cartesius , Regis , aliqui ; qui utramque etiam hujus regulæ partem fusi s , & multis probant .

Reflexio dicitur illa Determinationis in motu mutatio , quæ fit , quum corpus durum in durum , & majorem vim resistendi habens , impingens , ab illo reflectere , & Determinationem mutare cogitur , aliam priori oppositam acquirendo . Error tamen est multorum , corpora , dum reflectuntur , aliquantulum in puncto Reflexionis quiescere ; novus enim hic motus quieti succedens esset à nihilo , cum à nullo duorum corporum esse possit ; quod magnum absurdum est .

Refractio appellatur illa Determinationis mutatio , quæ fit cùm corpus ab uno medio in alterum oblique incidit ; si enim perpendiculariter incidat , nulla erit Refractio , sive Determinationis mutatio . Si corpus è medio faciliori in difficilius oblique inciderit , ut ex aëre in aquam , tunc corpus à perpendiculari recedet , contrà verò si è medio difficiliori in facilius transeat , ad perpendiculari rem accedet , ut ex aqua in aërem .

Corpora absolute Dura dicuntur , quorum particulæ inter se mutuò quietescunt : respectively autem Dura , quæ manibus nostris ad ea accendentibus resistunt . Contrà verò Corpora absolute Fluida , vel Liquida appellantur , quæ in multas exiguae particulæ , diversis motibus à se mutuò agitatæ , dividuntur : respectively verò sic dicuntur , quæ manibus nostris ad illa accendentibus cedunt . Corporum igitur gluten Quies est , per quam junguntur ; motu dividuntur . Mollia Corpora , media sunt inter Dura , & Liquida ; eorum enim particulæ non tam firma adhæsione junguntur , ut Dura , nec tam celeri motu agitantur , ut Fluida . Rarum Corpus est , cujus partes non undique sibi mutuo adhærent , sed per poros , seu spatiola tenuiori corpore repleta ex aliqua parte distant . Densum verò è contrario est corpus , cujus partes se ferme undique tangunt , seu quod poros minores habet . Corpus itaque per subtilioris materiæ egressum fit Densum ; contra verò per ejusdem materiæ ingressum , Rarum redditur . Aspera seu Scabra Corpora vocantur , quorum partes in superficie , ita disponuntur , ut aliæ promineant , aliæ subsident . Levia verò , seu Polita , quorum superficies æqualis est ob æqualem partium situm : quæ corpora Polita majorem vim habent agendi , & resistendi , quam Aspera . Contigua corpora , à cum , & tango nomen sortita , dicuntur , quæ se mutuò in parte tangunt , & nullam habent inter se mutuam dependentiam . Continua verò corpora , quæ à cum , & teneo nomen habent , vocantur , quorum partes per quietem ita invicem connectuntur , ut unum corpus efficiant , & mutuam agendi , & patiendi dependentiam habeant .

De Mundo Adspettabili verba facturus , Sphæræ Armillaris doctrinam , stellarum magnitudinem , distantiam , & duplē motum , atque alia , quæ Cartesio cum reliquis Philosophis , & Mathematicis recentioribus communia sunt , prætermittens , Mundi Systema à Cartesio traditum Part. 3. Princip. Philos. art. 20. & sequentibus huc breviter referam . Cum putasset Cartesius , Hypothesin Ptolemæi phænomenis explicandis non satisfacere ; Copernici verò , & Tychonis Hypotheses , quatenus Hypotheses sunt , eodem modo ad phænomena explicanda se habere , itaut Tycho verbo quidem minus , re tamen plus motus Terræ tribuerit , quam Copernicus ; suam ipse proponit Hypothesin , in qua omnem prouersus motum se Terræ detraeturum promittit ; ipsamque Hypothe-

pothesin omnium simplicissimam non pro rei veritate, sed pro Hypothesi tantum habendam desiderat.

Et primo quidem supponit, *Solem à Fixis, & flamma ratione luminis, quod emitit, non differre, cum ipse etiam ex materia valde fluida, subtili, & mobili constet; quæ tamen non ex una Cœli regione in aliam migret, sed secundum partes tantum moveatur: quo motu partium intestino omnes circumiacentis Cœli partes simul rapiuntur.* Quod autem hæc Solis flamma alimento non egeat, ex eo deducit, quod caussam, qua destruatur, non habeat.

Supponit quoque, *Distantiam Fixarum à Terra, & Saturno, omnium Planetarum remotissimo, maximam, & immensam esse; easque non uni Cœlorum Sphæræ fixas esse, ut putavit antiquitas, sed ipsarum quamlibet, non secus ac Sol, cui in omnibus similes sunt, in vasto, & proprio Cœli spatio, omnesque in immensa Cœli abyso hac illac dispersas contineri.*

Quod autem Cœli omnes non solidi sint, ut communis veterum opinio fuit, sed fluidi, ex eo deducit, quod Planetarum, Cometarumque motus in ipsis fieri nequicunt. Hinc quoque fit, ut corpora in ipsis contenta, quantumvis solida, facile quidem, & minima vi ab ipsis moveantur.

Planetæ, qui omnes Solem pro centro habent, circa ipsum à materia cœlesti ex Occidente in Orientem feruntur, hoc tamen ordine, ut Soli proximior breviori tempore cursum suum absolvat, quam remotior; atque hic rursus breviori tempore, quam qui eo remotior est; Saturnus scil. spatio 30. annorum; Juppiter 12. Mars proxime 2. Terra dierum 365. Venus 224. Mercurius 80., vel 87.

Terram (quam Planetam esse ait) inter Venerem, & Martem sitam, in suo Vortice quiescentem, simul cum ipso, & pedissequa Luna, extimum suis Vorticis occupante, à materia hac Cœlesti circa Solem ferri spatio unius anni, & interim circa proprium axem singulis diebus verti, existimat, à materia sui Vorticis circa ipsam se movente. Quam suam sententiam explicat exemplo Vorticis in aqua facti, in quo si variæ festucæ existant, videbimus, eas omnes in gyrum moveri, & nonnullas etiam circa propria centra converti; atque eò celerius proprium gyrum absolvere, quod centro Vorticis erunt viciniores. Eas tamen vix unquam circulos omnino perfectos describere, quamvis circulares motus semper affectent, credendum est; sed nonnunquam parum in longitudinem, vel latitudinem deflectere. Atque hinc fieri putat, Planetas nunc Parhelios, hoc est Soli propinquiores, nunc verò Aphelios, hoc est, à Sole remotiores observari: atque eadem de Planetis omnibus supponendo, omnia eorum phænomena explicat.

Terra, sicut & alii Planetæ dum circa magnum Solis Vorticem ab ejus materia feruntur, possunt quidem esse centra aliorum minorum Vorticum, à quorum materia (ut in aquæ Vorticibus sæpe se vidisse ait Cartesius) quæ in easdem partes, ac major Solis Vortex, feratur, alii quoque minores Planetæ circa propria centra ducantur; atque ipsimet minores Planetæ circa proprium axem ob ejusdem materiæ circularem motum gyrate cogantur. Sic in magno Solis Vortice Terræ Vortex est, in cuius extima parte Luna sita est, quæ circa ipsam gyrat spatio unius mensis. Est etiam aliis Vortex parvus, qui *Jovem* pro centro habens, desert circa ipsum quatuor ejus *Affecias* tali celeritate, ut remotissimus diebus 16. sequens diebus 7. tertius horis 85. & centro proximus horis 42. unum circuitum perficiant. In alio denique minori Vortice *Saturnus* pro centro est, circa quem duo etiam minores Planetæ volvuntur. Omnes tamen hi minores Vortices in vasto Solis Vortice siti, statim tempore circa ipsum Solem cursum suum absolvunt.

Quod

Quod verò *Terræ* in Vortice suo existenti; tum circa proprium axem spatio
24. horarum gyranti, tum circa Solem spatio unius anni translatæ nullum motum
tribuerit, ex eo potissimum probare conatur Cartesius loc. cit. quod nulli eorum
motus proprie dicti definitio competit, quia non transfertur *Terra* ex vicinia
partium Cœli, quæ illam immediate contingunt, quatenus istæ Cœli partes ut
immotæ considerentur. Sed hanc Cartesii sententiam, utpote Ecclesiæ Catho-
licæ sanctione damnatam (et si ipse nullis Ecclesiæ dogmatis repugnantem de-
monstrare conatus est) non amplectendam putamus.

*Quomodo Mundus ex Materia creata, & Motu, simplicissimis rerum omnium
materialium Principiis, à Deo formari potuerit* (non quomodo Deus, cuius ne-
mo judicia, & arcana unquam nōvit) docet Cartesius hac Hypothesi.

Omnium Mundi corporum Materies una, eademque à Deo creata est, di-
visibilis, imò actu divisa in particulas quamproxime inter se æquales, varia
tamen figuræ, ut spatia omnia particularum diversimode figuratarum repleren-
tur. Cum autem Deus huic Materiæ motum indidit, necesse fuit, ut ejus parti-
culæ in circulum moverentur. Nam cùm hæ particulæ rectâ progreendi nequirent
ob continuum aliarum occurrentium impedimentum, oportuit, ut ab iis rectâ
motus determinatione mutata, circa aliqua centra gyrate cœpissent; unde & in
varios *Vortices* abierunt. Est igitur *Vortex*, qui à vertendo nomen habet, im-
mensus numerus partium materiei, circa idem centrum rotantium: quarum
particularum numerus prout major, vel minor fuit, majores, vel minores Vor-
tices orti sunt, siue pene innumeri.

Cujusque *Vorticis Motus* considerandus ut motus alicujus sphæræ; itaut in
omni Vortice Centrum, Poli, Axis, & Ecliptica designari possint. *Vorticum
Figura* sphærica esse nequit, ne spatum inter Vortices, se in punto tantum
tangentes, relictum, vacuum esse dicatur. Motus unius Vorticis ut alterius
motum non impedit, sed juvet, ita inter se dispositi considerandi sunt, ut
Ecliptica unius aliorum Polis respondeat. Vorticis particulæ circa Eclipticam
majorem vim habent sese movendi, & à centro Vorticis recedendi. Denique
particulæ centro viciniores celerius moventur, quàm remotiores.

Ex motu particularum Vorticis tres Materiæ species ortæ sunt, quas Carte-
sius *Tria Elementa* vocat, quod ex ipsis omnia Mundi corpora sint conflata.
Primum Elementum est Materia illa subtilissima, ex attritis, & veluti abrasis
per continuum motum globulorum angulis, sive extuberantiis orta; quæ variæ
diversæque figuræ cùm sit, & maximæ motus celeritatis, & spatia à globulis
relicta implere, & in minutissimas adhuc particulas dividi potest.

Sol, & Stellæ Fixæ ex hac subtilissima materia Primi Elementi ortum sic
habuerunt. Cum ex continua globulorum Secundi Elementi attritione, & ro-
tundatione major Primi Elementi quantitas orta sit, quàm ad interstitia globu-
lorum implenda sufficeret; quæ ex repletis globulorum interstitiis supererat, in
Vorticum centra confluens, Solis, & Fixarum materies facta est. Hæc autem
subtilissima materies à replendis globulorum interstitiis superflua, nonnisi in
centro locari potuit, nam minorem vim recedendi à centro motus habebat,
quæ globuli Secundi Elementi, ut patet ex regulis motus. Quod autem flui-
dissimum hoc corpus, quod in nostri Vorticis centro Solem, in aliorum Vorticum
centro Fixas appellamus, sphæricum sit, exemplo confirmat Cartesius ampul-
læ vitræ, quæ ex hoc solam fit rotunda, quod aër in vitrum liquefactum per
tubulum immisus non tam ab orificio versus fundum, quam ab ipso fundo ad
latera omnia reflectatur. Conatus recedendi à centro motus tum in materia
subtilissima, quæ in centro est, tum in ea, quæ globulorum spatia replet, re-
peritur. Major tamen est in particulis Eclipticæ Vorticum subjectis, quam in
polæ-

polaribus. Quæ cauſa eſt, cur portio hujus materiæ ē partibus Eclipticæ vicinis effluens, in partes circumpolares vicinorum Vorticis ingrediatur; itaut continuus ſit effluxus hujus materiæ ſubtiliſſimæ ex Ecliptica unius Vorticis ad partes circumpolares alterius. Qui partium Primi Elementi continuus influxus, Solis, & Fixarum *alimentum* dici poſſet; quo indigere quodammodo vi- dentur propter continuum earundem effluxum.

Particulæ Striatæ ſunt ramenta minus diviſa materiæ Primi Elementi, fi- guræ irregularis, & ad motum ineptiora tum ob ſuam figuram, tum etiam quia Axi Vorticis propiora: quæ cùm in ſpatio triangulari, à globulis Secundi Elementi ſe tangentibus relictæ, reperiantur, in motu globulorum ſibi invi- cem adhærendo, triangularem figuram induant necesse eſt: quas particulas Cartesius Princip. Philos. part. 3. art. 90. exiguis columnis, tribus ſtriis in modum cochlearum intortis excavatis assimilat; itaut gyrandi transire poſſint per an- guſtos illos meatus globulorum 2. Elementi, habentes figuram trianguli curvi- linei. Hæ particulæ ex contrariis Polis versus centrum venientes, dum totus Vortex in unam, eandemque partem movetur, non in eandem, ſed in contra- riā partem intortas eſte debere manifestum eſt. Ex his Magnetis vires deducit Cartesius, ut infra.

Solis, & Fixarum Maculas ex his etiam particulis generari, ait. Nam ubi iſtæ ad Solis ex. gr. corpus pervenerint, celerrimo motui particularum ipſius conſentire nequeunt; unde facile ob inæqualitatem ſuæ figuræ, & molem majorem, ſibi mutuò adhærentes, moles ſatis magnas, & opacas componunt; quæ ab agitatissimis Solis particulis ad ejus ſuperficiem propulſæ, velut totidem Maculæ in Solis ſuperficie conſpicuntur: quæ tandem ab ejusdem particulis celerrime agitatis refolvuntur in materiem partim in Solis ſubſtantiam refun- dendam, partim per Cœlum vicinum diſpergēndam; dum interim in alia Solis parte novæ generantur ex nova Materia Striata ipſum ingrediente: non ſecus ac in liquore aliquo ebulliente ſpuma generatur à crassioribus liquoris particulis, quæ ad ſuperficiem ejicitur, & tandem diſſipatur. Hæ Maculæ (quarum pri- muſ inventor, & obſervator fuit Galilæus, qui illas an 1610. Patavii Matheſin docens Helioscopii uſu detexit) cur in Solis Ecliptica tantum videantur: cur Sol quandoque pallidior viſus ſit per multos dies: cur quædam ſtellæ Fixæ nunc majoris, nunc minoris magnitudinis appareant; imo & earum quædam à Maculis undique teſtae ad plures annos non ſint viſae: cur hæ Maculæ quan- doque in Faculas circa Solem verſae ſint; vide apud Cartesium loc. cit.

Secundum Elementum vocat Cartesius *Globulos* à materia, in celerem, motum adacta, formatos. Hi Globuli cum materia ſubtiliſſima Primi Ele- menti, eorum poros replente, Materiam Cœlorum conſtituunt; itaut Cœlorum nomine veniant hi Globuli Secundi Elementi cum interſpersa materia Primi, omne Vorticis ſpatium occupantes: unde & *Materia Cœleſtis* etiam appella- tur, *Ætereſa*, & *Subtilis*. Hos autem Globulos non ubique Vorticis æqua- les, nec æque celeriter moveri ſupponit Renatus, ſed centro propiores remo- tioribus minores eſſe, & celerius moveri, ut patet ex regulis Motus, & ſufiſus ipſe probat. Id tamen intelligendum uſque ad orbitam Saturni; ultra quam- æqualis fere ſunt magnitudinis, ſed non æque celeriter moventur, nam quod magis diſtant, eo celerius moventur.

Tertium denique Elementum appellat Renatus particulas illas crassas, & ob ſuam figuram ad motum ineptiores: quæ invicem adhærentes, & implicatae, maiores ſemper evadunt. Ex his *Cometas*, *Planetas*, ac *Terram*, quam incoli- mus, extitiffe refert. Et primo Cometarum naturam, & productionem ita explicat. Cùm ē fixis aliqua tot, tantisque densis maculis (de quarum genera-

tione supra ubi de Sole dictum) obducitur , si ad eas dissolvendas impar est , tunc omne penitus lumen amittens , ex fluida , & luminosa , dura , & obscura evadet . Durissimo igitur hoc cortice undique involuta materia primi Elementi , quæ in centro ejus Vorticis erat , ac proinde deficiente actione ejusdem materiæ in omnem proprii Vorticis materiam , hæc per vicinos Vortices omnis dispergetur , & Cometa , hoc est materies illa primi Elementi durissimo hoc cortice inclusa , à vicino aliquo fortiori Vortice absorbetur . Cum autem omnis Cometa tantæ sit soliditatis , ut superet vires globulorum secundi Elementi Vorticis absorbentis , eorum etiam , qui remotissimi à centro reliquis sunt solidiores , majorem etiam habebit vim recedendi à centro hujus Vorticis : quare ad extimam usque Vorticis superficiem perductus Cometa , ab eo excidet , & alium ingreditur ; à quo etiam expulsus , alium intrabit . Cùm verò aliquis Cometarum Solis Vorticem intrat , nobis visibilis fit usque dum expulsus in aliud Vorticem ab oculis nostris dispareat . Planetæ verò Πλανῆται , ἀντὶ τῶν πλανῶν , ab errando dicti , unde & Latini eos Errantes , & Erraticas Stellas , & Nigidius etiam Errones appellavit , Stellæ etiam Fixæ prius erant ; deinde verò , non secus ac Cometæ , genitis undique circa ipsas densis maculis , cortice quodam involutæ , à fortiori vicino Vortice absorptæ sunt . Putat enim Renatus , vastissimum illud spatum , quod nunc magnum Solis Vorticem constituit , initio in 14. pluresve Vortices divisum fuisse . Et quidem cùm Solis , Jovis , & Saturni Vortices cæteris maiores fuerint , quatuor illis minoribus Stellis , quæ nunc Jovem circumstant , in Planetas jam versis , & propriis Vorticibus à Jovis Vortice absorptis , in eundem Vorticem ipsæ etiam delapsæ , circa Jovem gyrate cœperunt . Sic etiam quæ duæ Saturno propiores erant , in Saturni Vorticem lapsæ sunt , circa quem & nunc volvuntur . Luna pariter circa Terram , in cuius Vorticem cecidit , eadem ratione nunc vertitur . Omnia tandem harum Fixarum , Terræ scil . Jovis , & Saturni , Veneris quoque , Martis , & Mercurij , ubi in Planetas versa sunt , Vorticibus à fortiori Solis Vortice raptis , ipsi pariter Planetæ cum pedissequis suis in vastissimum Solis Vorticem delapsi , circa ipsum volvi cœperunt . Reliquorum autem Vorticum Sidera , si plura , quam 14. in hoc spatio unquam fuerint , in Cometas versa fuisse supponit . Non igitur aliud Cometas inter , & Planetas discrimen est , nisi soliditatis : quæ enim Fixæ majorem corticis soliditatem natæ sunt , quam ullum in Solis Vortice locum invenire potuissent , in Cometas abierunt : illæ verò , quarum soliditas aliquibus hujus Vorticis globulis respondere potuit , in Planetas mutatae , una cum æqualis soliditatis globulis circa Solem moventur . Locum itaque , ex regulis motus , in Solis Vortice suæ soliditati correspondentem occuparunt ; qui scil . sub minori superficie majorem molem habebant , à Sole remotiores , contrà verò propiores .

Terra denique è Fixa in Planetam , inquit , versa est , densis quibusdam maculis ex particulis striatis circa ipsum superficiem genitis , & partim à materia primi Elementi per vicinam Cœlum dispersis , partim in durissimum corticem abundibus , & Sidus undique obtegentibus : unde & à vicino Solis Vortice una cum suo Vortice absorpta est . In Terra igitur tres regiones agnoscit , Intimam scil . à materia primi Elementi , sed non pura , volitantibus in ea quibusdam particulis tertii Elementi , efformatam : Medium , à particulis tertii Elementi sibi invicem implicatis , & durum , sed porosum corticem componentibus , conflatam ; qui pori tam exigui sunt , ut nonnisi materiæ primi Elementi , striatisque particulis transitum præbeant ; Tertiam denique & Extimam , quam Aërem vocat , congeriem scil . materiæ Cœlestis , & tertii Elementi , ex qua Terrestria corpora omnia , quæ nos circumstant , orta sunt .

Terra

Terra itaque, inquit, in Planetam mutata, ubi à Solis Vortice absorpta fuit, magna in tertia, & extima ejus regione mutatio fieri debuit à materia Cœlesti Vorticis Solis, agente in particulas tertii Elementi, quibus extima hæc regio referta erat. Has autem terrestres particulas in tria summa genera distinguit. Quædam enim ipsarum, ipse ait, instar ramorum arboris, in varia quasi brachia divisæ, & hinc inde expansæ, à materia Cœlesti deorsum propulsæ, & sibi invicem adhærentes, corpus aliud supra primam Terræ crustam efformarunt. Aliæ verò solidiores, figuraeque cubo, globo, vel ruderí anguloso similis; quæ particulæ si quidem graviores fuerint, infra cœteras descendedent; si verò leviores, spatia ramosarum implebunt. Aliæ denique sunt oblongæ instar bacillorum, ramis tamen destitutæ, quæ facile ramofis se immiscent, si spatia inter ipsas ampla repererint; nunquam tamen illis annexuntur. Ex quibus triplicis generis particulis tria alia corpora circa primam Terræ crustam genita sunt; quorum interius, primæ Terræ crustæ adhærens, vocat *crustam Internorem crassissimam*, ex qua metalla oriuntur. Secundum corpus ex particulis longis, levibus, & flexilibus instar anguillarum, circa duras, & rigidas intortis, compositum, *Aquam salam* appellat. Tertium denique *Terram Externorem*, ex argilla, lapidibus, arena, & limo confusatam. Quæ Terra Exterior dicta forniciis instar supra corpus fluidum, seu Aquam aliquamdiu suspensa sustentari potuit, donec suis quibusdam rimis magis magisque ex Solis calore, & continuo materiæ Cœlestis transitu, hiantibus (non secus ac æstate in Terra à Sole exsiccata rimæ generantur, quæ eò magis hiant, quòd major est Solis vis) ejus partes invicem disjunctæ sunt; cùmque in modum forniciis amplius sustineri nequierint, tandem ruptæ sunt, & in crustam interiorem crassissimam, metallorum matrem, ceciderunt, locum cadentibus hujus forniciis fragmentis cedente Aqua, quæ supra interiorem crustam sita est. Sed quia superficies crustæ interioris minus lata erat, quam superficies crustæ exterioris labentis, oportuit, ut fragmenta prius lapsa crustæ interiori perfectly adhærerent; supra quæ Aqua ascendens Mare constituit: reliqua verò in latus inclinata alia aliis superincumbendo, Montes, Scopulos, & Camporum planitiem efformarunt: quod clarius Part. 4. Princip. Philos. art. 44. & sequ. apud ipsum videre est. Tandem terrestres alias particulæ subtile, & flexiles, in materia Cœlesti à Terra hac Exteriori ad datam nostri Cœli distantiam innantes, *Aërem* vocat. Quibus per Hypothesin suppositis, sic naturalium corporum naturam, & proprietates explicat.

Aér est congeries particularum tertii Elementi tam tenuium, & à se mutuo disjunctarum, ut motui materiæ Cœlestis obsequantur; quæ cujuslibet sint figuræ, flexiles tamen sunt instar mollium plumularum, vel tenuum funiculorum, Cœlestique materiæ innatant: quarum quælibet independenter ab aliis vicinis circa proprium centrum movetur, totamque exiguum illam sphæram occupat, quæ ad circularem hunc motum perficiendum requiritur. Quod verò ad ejus proprietates, & affectiones attinet; *Rarus* est, quia partibus constat à se mutuo disjunctis. *Fluvidus*, quia ejus partes nulla quiete inter se junguntur, sed continua agitatione cidentur. *Pellucidus*, quia radii, seu globuli secundi Elementi rectâ per amplos *Aëris* meatus transeunt. *Calore rarefit*, quia ejus partes, quæ flexiles sunt, quòd celerius per calorem agitantur, eò latius se extendunt, & majus spatiū occupare coguntur. Contra tamen *Frigore densatur*, suarum particularum agitatione per frigus imminuta. Ultimò *Aëris Elater*, seu *Vis Elastica* in eo consistit, ut ejus partes, flexiles cum sint, violenter compressæ vim habeant resiliendi, & in ampliorem locum se extendendi: non secus ac in Chalybis lamina inflexa, & resiliendi vim faciente, observatur.

Aqua est corpus compositum ex particulis flexilibus, levibus, & lubricis, quæ anguillarum instar in continua sunt agitatione. Si vero hæ partes flexiles, & lubricæ, quæ *Aquam Dulcem* constituunt, duris, & inflexilibus Salis nestantur, & implicentur, *Aquam Salsam* componunt: nunquam tamen ita cohærent, ut non facile separentur; sicque *Salsa*, sale relicto, in dulcem abire potest. *Aqua* corpus *Fluidum* est, quia ejus partes à materia Cœlesti continuo agitantur: *Pellucidum* vero, quia ejus pori materiam Cœlestem continent ad luminis radios transmittendos apti sunt. Salis partes, quia solidæ, & graves, in vaporē cum *Aqua* non ascendunt: quia rigidæ, linguam pungunt, & discerpunt: item quia rigidæ, carnium poris infixæ, & omnem ab ipsis humiditatem expellentes, ex qua fermentatio, & inde corruptio fieri potest, carnes à corruptione præservant.

Maris Aëstus, sive *Fluxus*, & *Refluxus* fit à materia Cœlesti Vorticis Terræ, quæ à Luna ad Maris superficiem sita est: quæ cùm angustius spatium inter Lunam, & Mare transire debet, celerius movetur; unde majorem pressionem Mari facit: quare *Aqua* majori huic pressioni cedens, subsidit, sicque deficere videtur, dum interim in aliis maris locis *Aqua* attollitur, in ipsa, quæ hinc deprimitur, aqua refluente. Sed quia pars Maris, quæ nunc est sub hac majori aëris pressione, ob diurnam Terræ super proprio axe circumvolutionem, spatio horarum 6. cum minutis 12. erit in loco, ubi minor est pressio, iterum elevabitur. Eadem quoque de caussa post horas 6. cum minutis 12. iterum deprimetur in ea Vorticis parte, quæ Lunæ per diametrum opponitur (quod Vorticis spatium etiam angustius est, quia materia Cœlestis, quæ inter ipsam, & Lunam est, per majorem motum, & pressionem, ipsam Terram versus oppositam Vorticis partem deprimit) ac tandem post totidem horas cum minutis iterum attollebitur: sicque Mare bis in die crescere, ac bis decrescere observatur. Hic autem Maris Aëstus major est in Noviluniis, & Pleniluniis, quām in Quadraturis; maximus in Äquinoctiis, quia tunc Luna Terræ propior est; ut Lunæ cursum, per Ellipticam orbitam peragendum, consideranti patet.

Metalla omnia & *Fossilia* in Terra Interiori à particulis terrestribus variae figuræ, & molis, gignuntur, atque inde ad Terram Exteriorem vi caloris tum interni, qui à materia primi Elementi in centro posita provenit, tum externi, qui à Sole est, ascendunt. Hinc Metalla non in omnibus Terræ locis inventiuntur, sed in iis, in quibus fragmenta Terræ Exteroris Interiori junguntur, potissimum vero in radicibus montium ad Meridiem, & Orientem, ubi major calor vis. Pro varia tamen partium terrestrium conditione, & mistura, varia quoque Metalla, & Fossilia generantur.

Ferrum est metallum omnium levissimum, & porosissimum, constans particulis nimis crassis, & ramosis, ex quarum mutua complicatione ejus durities, & difficilis malleatio pendet. Rubigine tamen, & aqua forti facile corroditur. Quum vero Ferrum vi ignis à sordibus expurgatur, si quidem quām citissime refrigerescat, abit in *Chalybem*. Tunc enim Ferri ramenta, seu particulae arctissime sibi junctæ, grumos, sive guttas quasdam efformant, quæ mutua collisione rotundantur, ac perpoliuntur. Hinc Chalybs est durissimus ob arctissimam suarum partium rotundarum connexionem. Est frangibilis, quia ejus partes, rotundæ cum sint, facile ab invicem separantur, nam per simpli- cem superficierum sphæricarum contactum junguntur. Chalybs denique inflexus vim habet resiliendi, quam vim Elasticam vocant; quam vim alia etiam corpora habent. Hoc autem inde fit, quod Chalybs, & similia corpora porositates habent plurimas, soli materiæ Cœlesti ipsas ambienti transitum præbentes. Quæ porositates, cùm Chalybs, vel quid simile, inflectitur, ex parte infle-

inflexionis angustiores redduntur: unde particulæ materiæ Cœlestis ex parte inflexioni opposita facillime ingressæ, cùm egredi nequeant, Chalybis porositatibus veluti totidem cunei infixæ, vim magnam faciunt, ut poros undique æquales, pristinamque corpori figuram restituant.

Plumbum est Metallum à Ferro in hoc tantum differens, quod *Plumbum* partibus constet ramosis quidem, sed minoribus, levioribus, & flexibilioribus, quam *Ferrum*. Est *Plumbum* Ferro ponderosius, quia ejus partes, utpote æquabiliores, & minores arctius uniri possunt. Est Ferro minus durum, quia ejus partes non sunt tam ramosæ, & tam rigidæ. *Aurum*, & *Argentum* purificat, quia eorum impuritates sulfureis *Plumbi* partibus adhærent. Non ab aqua forti, ut reliqua Metalla, sed ab aceto dissolvitur, nam sulfur minus acre continet.

Stannum à *Plumbo* in hoc solum differt, quod partes ramosæ *Stannum* componentes *Plumbi* partibus acriores, rigidiores, & minus flexiles sint.

Æris à *Plumbo*, & *Stanno* differentia est, quod *Æris* sal acrior & fixior sit, ejusque sulfur abundantius, & volatilius; unde difficilius solvit. Ex Chymica verò *Æris* solutione, quam acer, & corrodens ejus sal sit, aperte cognoscitur.

Aurum, & *Argentum* in hoc differunt, quod partes ramosæ *Aurum* componentes majores, & arctius unitæ sunt, quam partes *Argenti*. Hinc *Aurum* *Argento* ponderosius est; difficilius funditur, &c. Pori tamen *Argenti* licet *Auri* poris angustiores sint, sunt tamen frequentiores: unde simul sumti superant latitudinem pororum *Auri* simul sumitorum. Quæ Metalla quibus Planetis dicta, &c. vel ipsi vulgo jam innotuit.

Argentum Vivum, Græcis Τριπόλεμον, quæ vox Latine sonaret *Aqueum* *Argentum*, quia Mercurio attributum, *Mercurii* etiam nomine appellatur. Improprie tamen inter Metalla reponitur, cum non durum, sed fluidum corpus sit. Partes ipsum componentes solidiores sunt, teretes, & leves, minus arcte sibi mutuo adhærentes, à globulis secundi Elementi, & materia Primi, ipsius poros replentibus, & permeantibus facile agitatæ; unde corpus liquidum, & ponderosum nimis, opacumque constituunt.

Mineralia à Metallis in hoc solum differunt, quod *Mineralia* partes habent breviores, & minus compactas, quam partes Metallorum; sunt enim minus arcte inter se unitæ: unde malleo resistere nequeunt, ut extendantur. *Mineralium* nomine venit quidquid fossile (præter Metalla, quæ è Fossilium quidem genere sunt, sed *Mineralia* non dicuntur) è mineris educitur, ut *Salia omnia*, *Stibium*, *Sulfur*, *Lapides omnes*, ut *Pyrites*, *Cos*, *Crystallus*, *Adamas*, ac pretiosi omnes, &c. qui lapides in *Terræ Interioris* partibus generantur ex *Sale*, *Terra*, & *Oleo* simul junctis. Quod plus igitur terrestris materiæ continent hi lapides, eò sunt ponderosiores; quod plus olei, eo læviores. Sal verò ad has partes uniendas concurrere videtur. Quibus de lapidum generatione suppositis, facile de cujusque natura, & proprietatibus ratio reddi potest. De *Sulfuris*, *Bituminis*, &c. generatione vide *Cartes. Princ. Phil. part. 4.*

Inter *Mineralia* duo sunt speciali consideratione digna, *Vitrum*, & *Magnes*. *Vitrum* est corpus durum, fragile, & pellucidum in *Terræ visceribus* genitum à calcis, & cinerum particulis crassioribus, & figuræ irregularis, quæ ope ignis maxime agitatæ, & lævigatæ non in punctis, ut prius, sed in quibusdam exiguis superficiebus se contingunt, & hoc pacto simul connexæ *Vitrum* componunt. *Vitrum liquefactum* quod citius refriguit, eò fragilis evadet, & contrà. Cujus ratio redditur: quia *Vitri meatus* satis ampli sunt, dum candens est; unde materia Cœlestis cum subtilioribus fortasse particulis tertii Elementi facie

le per ipsos transit : cum autem Vitrum refrigeratur , hi pori redduntur angusti , & si quidem celeriter refrigeretur , ex parte interna , quæ tardius frigefit , pori quidem latiores erunt , ex parte verò externa , quæ citius frigescit , angustiores ob subitam , & arctiorem partium adhæsionem : unde materia Cœlestis in poris internis , & latioribus contenta per angustiores hos externos poros ægre transiens , impetum facit ad poros sibi dilatandos . Contrà verò dum lente refrigeratur , globuli secundi elementi vias sibi undique ampliores efficiunt , prius quam partes invicem uniantur . Eadem quoque ratio est , cur Vitrum non æque in omnibus suis partibus incalescens , facile disrumpatur : ita etiam si vehementiori igni statim apponatur : contra tamen lento primum igni appositum , deinde gradatim vehementiori , non frangetur , &c. Tandem Vitrum pellucidum est , quia poros habet rectos , vel saltem non interruptos (quod sufficit ad luminis actionem transmittendam) per quos radii facile transeunt . Secundum hanc Hypothesin facile de his , ac reliquis Vitri proprietatibus rationem reddi posse , cum Cartesio ejus Sectatores affirmant ; potissimum verò de *Lacryma illa Vitrea* , nobis ex Hollandia advecta , & ita arte fabricata , ut vel forti malleo in ventre , seu in parte crassiori percussa , disrumpi nequeat ; si verò vel leviter percutiatur in crassiori caudæ parte , post magnum fragorem tota Lacryma in subtilissimum pulverem comminuetur .

Magnes est lapis ad ferri naturam accedens ; imò tanta est inter utrumque cognatio , ut ambo ex iisdem fodinis eruantur , atque si Gilberto credendum est , optimum quodque ferrum è Magnete conflatur . Componitur *Magnes* ex crassis Terræ particulis ferri similibus ; unde nullus omnino est *Magnes* , in quo aliquid ferri non contineatur . Magnetis tres præcipuae sunt proprietates , seu vires . I. In statu libero constitutus , ad Mundi Polos sponte dirigitur . II. Ferrum , vel alium Magnetem ad se adducit ; nonnumquam etiam fugat . III. Ferrum ad se admotum utraque virtute imbuit : quod *Ferrum Magneticum* , vulgo *Calamitatum* dicitur .

Quas Magnetis proprietates ut explicet Cartesius , in mentem revocat ea , quæ supra dixit de particulis Striatis , tribus striis ad modum cochlearum intortis , ex partibus crassioribus primi Elementi compositis , & ita intortis , ut quæ ex Australi Terræ Polo veniunt , versus sinistram ex gr. quæ verò ex Boreali in oppositam partem contortæ sint . Unde fit , ut quæ ex Australi Polo veniunt , per Borealem Terræ Polum Terram ingredi nequeant ; sed veluti Vortice quodam facto , eundem semper Terræ polum ingredi debeant , eamque secundum longitudinem porositatum axi Terræ parallelarum permeare , de quibus supra . Quæ particulae Striatæ non possunt per eandem partem regredi , per quas ingressæ sunt , propter tenuissimas quasdam particularum extremitates in spiris istorum meatuum versus eam partem inflexas , versus quam progredi solent , & ita in adversam partem assurgentes , ut earum regressum impedianter .

Ait insuper : non omnia corpora poros habere aptos ad striatas particululas recipiendas , sed tantum dura , & partibus duris , ramosisque composita , quale *Ferrum* esse supra dixit . In reliquis verò metallis propter nimiam partium soliditatem , pororumque angustiam , tales nequeunt excavari . Pori igitur Magnetis à poris Ferri , & hujus à poris Chalybis in perfectione tantum differunt : Magnetis namque pori poris Chalybis perfectiores , & recipiendis particulis striatis aptiores sunt ; pori verò Chalybis poris Ferri perfecti , & idonei magis sunt .

Tandem afferit , in unoquoque Magnete duos distingui Polos , Australem unum , qui materiam Striatam ab Australi Terræ parte venientem recipit ; Borealem alterum , Australi ex diametro oppositum , quem intrat materia Striata

Striata à Boreali parte veniens. Quibus suppositis, ita Magnetis phænomena explicat.

I. Si Magnes super subere aquæ imposito, vel aliter liber collocetur, ejus Poli semper versus Mundi Polos vertuntur, hoc tamen modo, ut Borealis Magnetis Polus Australem Terræ respiciat, & contrà. Materia namque Striata à Mundi Polis veniens, cui Magnetis meatus liberiorem, quam reliqua corpora, transitum præbere possunt, si oblique in Magnetis Polos inciderit, vi, quam habet perseverandi secundum lineam rectam in suo motu, Magnetem eousque impellet, donec illum ad eum situm reduxerit, quo per unum Polum ejus poros ingredi, & rectâ per alterum egredi possit. Australis autem Terræ Polus Boreali Magnetis opponitur, & contrà, quia materia Striata, Borealem Magnetis Polum ingrediens, est ea, quæ Borealem Terræ ingreditur, & contrà, ut patet ex dictis.

II. Axes Magnetis, & Acus Magneticæ in Æquatore Terræ sunt Horizonti paralleli; quò magis verò ad alterutrum Polum accedunt, eò alterutra eorum pars Terræ centro inclinabitur: quia lineæ, quas Striatæ particulae sub Æquatore prope Terram describunt, sunt Horizonti parallelæ; in regionibus verò circumpolaribus sunt obliquæ.

III. Eodem modo, quo Magnes respectu Terræ collocatur, collocatur etiam respectu vicini Magnetis; ut sc. polus Borealis unius Australi alterius respondeat, & contrà: nam materia Striata Australem unius ingressura eadem est, quæ Australem Alterius ingressa, per Borealem egreditur.

IV. Magnes intra sphæram activitatis alterius Magnetis constitutus illum trahit, vel ab eodem trahitur. Pro quo supponendum, materiam Striatam celerius per poros Magnetis, quām per ullos alios fluere, nam secundum suam figuram excavati sunt. Materia igitur hæc è Magnete celeriter egrediens, & in circumfita corpora impingens, maxima ex parte reflectetur per latera ad posteriora, oppositum Magnetis Polum ingressura. Quare circa quemlibet Magnetem Vortex quidam Materiæ Striatæ considerandus est, major, vel minor, præ Magnetis mole, non secus ac de ejusdem materiæ circa Terram Vortice dictum. Parvus igitur hic Vortex Sphæra activitatis Magnetis vocatur. Si igitur Magnes in Vortice alterius constituatur, sive in ejus Sphæra activitatis, materia Striata circa Magnetem circumacta, alterum Magnetem offendens, in quo meatus pro suo transitu aptiores invenit, potius hunc subit, quām versus primum reflectetur: idem dicendum de materia egrediente ex altero Magne, quæ potius vicinum subit, quam versus priorem reflectatur: materia igitur hæc circa duos Magnetes ita vertitur, ut circa unum. Quare a materia Striata, ex utroque Magne celeriter fluente, aër intermedius ad latera facile expellitur; unde Magnetes invicem accedunt.

V. Si Magneti liberè sito alter Magnes ita apponatur, ut Borealis Polus unius Boreali alterius respondeat, & contrà, unus alterum non trahet, sed fugabit. Materia namque Striata ex Polo Boreali unius egrediens, cum non possit subire Polum Borealem alterius, necessariò reflecti debet per latera retrorsum; quod ut contingat, opus est, ut inter utrumque Magnetem spatium aliquod intercedat; quod cuin non sit, materia Striata ex Magne majoris activitatis egrediens, vi & impetu, quo egreditur, in Magnetem minoris activitatis irruens, illum propellit, debitumque sibi spatium procurat.

VI. Magnes Ferro sibi admoto omnem Magneticam virtutem communicat; Ferri enim poris, ut Magnetis pori evadant, id tantum deest, ut exiguae illæ ramulorum extremitates supradictæ in ejus meatibus promineant, & versus unam, eandemque partem, Austris ex. gr. stellantur in iis meatibus, per quos

materia Striata versus Austrum ferri debet; in aliis vero versus oppositum. Hoc autem Ferro præstare potest in materia illa Striata, torrentis instar è Magnete exiens, quæ istas ramulorum extremitates eo modo inflectat, quo deinceps facile ejus porositates pertransire possit; sic Ferrum in Magnetem vertetur. Quod confirmant laminæ quædam ferreæ in modum Crucis in ædificiorum summitate locatæ, & casu secundum lineam meridianam sitæ, quæ longo annorum spatio à materia Striata, secundum lineam meridianam fluente, in Magnetes versæ sunt.

VII. Magnes quandoque varie inclinatur à Polis versus Ortum, vel Occasum, quod ei contingit à variis Ferri, Magnetumque fodinis, ad quas Magnes declinat.

VIII. Si Magnes diu in situ alio respectu lineæ meridianæ, vel alterius Magnetis violenter detineatur virtutem omnem amittit; corruptis scil. eorum poris à particulis Striatis, oblique in ipsos incidentibus. Quod etiam Magneti accidit, si ejus pori humiditate, rubigine, situ, vel violento igne corrumpantur. Notandum tamen, verbum *trabere* vulgari, non philosophica significatione à Cartesio quandoque usurpari pro mutuo accedere. Atque hæ sunt præcipuae Magnetis proprietates à Cartesio explicatæ, & hic breviter traditæ. Alias Magnetis proprietates ab eo explicatas vide apud ipsum Princ. Phil. part. 4. art. 150. & sequentibus; ubi etiam de vi, quam dicunt, attractionis in Succino, Vitro, cera Hispanica, & similibus, quæ fortiter confricata ad se vicina corpuscula alliciunt, simili fere modo pertractat.

Ignis, ex Cartesio Princ. Phil. part. 4. art. 80. producitur, cum particulæ terrestres cujuscumque figuræ, vel magnitudinis, expulsis vi aliqua globulis secundi Elementi ab earum interstitiis, solæ in materia primi Elementi innant, ac singulæ seorsim ejus rapidissimum motum, sive potius agitationem sequuntur. Ignis dupliciter excitatur; primò quidem, si particulæ terrestres à materia primi Elementi in motum rapiantur, itaut agitationem ab illa accipiunt; sicque Ignis Igne excitatur: secundò vero si particulæ terrestres vi aliqua agitatæ globulos secundi Elementi expellere valeant; ut cum ope radiorum Solis, lente aliqua vitrea collectorum, Ignis excitatur: quo etiam modo à similibus percussis producitur.

Ut autem conceptus ignis conservetur, alimento opus habet, particulis scil. terrestribus crassis, solidis, & ad motum aptis, quæ à materia primi Elementi in minutissimas particulæ divisæ, & ab ea impulsæ, vim habent repellendi globulos secundi Elementi à loco, ubi Ignis est. Quæ crassæ particulæ tenuiores redditæ, in sumi forma dissipantur; unde opus est, ut novæ semper suppeditentur, quibus Ignis à globulorum incursu defendatur. Ea tamen corpora ad Ignem conservandum aptiora sunt, quæ poros habent latiores, figuramque partium ramosam, & inæqualem. Cur autem Lucernæ sempiternæ dictæ in Hypogæis ad annos plurimos sine alimento servatæ sint, ratio est, quia in Hypogæis perfecte clausa ær vel nullis, vel minimis ventis commovetur; quare particulæ terrestres à lucerna elevatæ, quia crassæ, & ramosæ, sibi invicem adhærentes, exiguum veluti forniciem efformantes, continuum quasi flammaræ propugnaculum factæ sunt, ne à globulis secundi Elementi suffocaretur: sicque veluti stella quædam exigua in forniciis medio servata est. Cum vero Lucerna hæc ex Hypogæis in apricum deducitur, si quidem in fuliginosi illius forniciis compositione oleosa materia tota absunta fuerit, irruentibus in Lucernam globulis secundi Elementi, & fuliginosum illum forniciem dissipantibus, Lucerna extinguetur; si vero oleosa materia non omnis consumta sit, tunc tamdiu flamma servabitur, quamdiu durabit oleum.

Ut

Ignis effectus Calor, & Lux. Et Caloris quidem sensum in nobis excitat per violentum suarum partium terrestrium motum, & agitationem partibus nostri corporis communicatum: Lucis vero per propulsionem globulorum secundi Elementi, factam à materia primi Elementi. Atque hinc pergit explicare, cur quædam corpora luceant, & non urant, & phosphorus artificialis, & similia quædam contrà urant, & non luceant, ut calx aqua adspersa, &c. Si enim materia primi Elementi tantùm vim habeat propellendi globulos secundi Elementi, non autem nimis crassas misti partes agitandi, & secum in celerem motum rapiendi, Lux tantùm producitur. Si verò materia primi Elementi tenuiores misti partes inveniat, & ad celerem motum promptiores, unde facile ab ipsa agitentur, vim autem tantam non habeat, quæ globulos etiam secundi Elementi propellere possit, Calor; non Lux excitabitur. Sic etiam ratio redditur, cur quædam corpora sine flamma urantur.

Denique flamma ob suam levitatem sursum tendit, & acuminata est; quia ejus particulæ terrestres quod plus ascendunt, eò magis motum amittunt; unde aëris compressioni minus resistere valentes, sub fumi forma disperguntur. Aër verò circumjacens à fumo ascendentे impulsus circulatione quadam deorsum tendens, pellit particulas corporis oleosi, quo flamma alitur, versus superiora.

Ignis Subterraneus ab exhalationibus sulfureis in subterraneis cavitatibus invicem adhærentibus, & particulis nitrofis simul junctis oritur. Sylvanus tamen Regis ipsum fieri afferit ex mistura Sulfuris, Ferri, & Aquæ in Terræ cavitatibus facta; non secus ac in Chymia talis misturæ libræ 30. & incalescere, & in ignem abire observantur: imò & ipse ignis è Terræ cavernis per montium cacumina erumpens, & Sulfur, & Ferrum continere videtur.

Terræmotus igitur ex hujus materiæ accensione ob aliquam caussam (quæ varia esse potest) facta oritur; si enim unde erumpat, non habet, Terram concutit, & *Qua data porta ruit*: quo igne per voraginem quandam erumpente, Terræmotus cessat. Franciscus tamen Travaginus in sua Disquisitione Physica de Terræmotu ait, ipsum tunc accidere, cum Terra in suo motu diurno circa proprium axem repente sistitur, ut in navi currente observari afferit, si in lapidem offenderit; in qua cuncta contenta statim in partem motui oppositam nutabunt: similiter in Terræmotu ob Ortu ad Occasum Terræ vibrationes se observasse affirmat. Sit fides penes autorem.

Calor, & Frigus non sunt, ait, qualitates corporibns inhærentes, sed sensatio-nes quædam partibus nostri corporis communicatæ à partibus corporum, quæ *Calida*, & *Frigida* vocamus. Calor enim est: *Violenta quædam, & irregularis agitatione partium corporis*, quod *Calidum* vocamus ex qua agitatione certus quidam motus partibus nervosis imprimitur, qui menti communicatus Caloris ideam illi excitat. Contrà verò *Frigus* est sensatio priori contraria, facta à partibus corporis, quæ in quiete sunt, vel motu æquabili. Hinc explicatur effatum illud Philosophicum: *Calidi est rarefacere, Frigidi condensare*.

Fontium, Fluminum, & Puteorum Origo ex Maris aqua est; quæ in Terræ exterioris, ejus scil. quam incolimus, meatibus à salinis particulis expurgatur; unde eorum aqua dulcis est. Quod si fontes, & putei quidam, præcipue Mari proximi, falsi observeruntur, id ex eo contingit, quod eorum aqua non bene à salibus depurata est, quia per Terræ poros latiores fortasse transivit. Fontes verò *Calidi, Frigidi, Ferrei, Aluminosi, &c.* subterraneis locis, & mineris, per quas transeunt, novas has proprietates debent. Aquæ adscensus ad camporum planitiem, & montium juga, à Solis calore, & igne subterraneo, procedit.

Meteora non omnia hic tradenda duxi, sed ea tantùm, de quibus aliquid
Iii. novum,

novum, vel peculiare Cartesius, ejusque sectatores excogitarunt, iis relictis, quæ cum aliis Philosophis sunt communia. Et primò *Ventorum* naturam ut explicet Renatus, utitur exemplo *Æolipylæ*, quæ est globus quidam cavus plerumque æreus, exiguum foramen in una tantum parte habens. Si vas istud parum aquæ continens, cætera verò vacuum, igni superponatur, cùm ignis aquæ particulas agitet, & in vapores convertat; cumque hi majus spatium occupare conentur, eorum particulæ aliæ alias impellunt, & verberant; ita omnium ferme vaporibus collectis, vapores foraminis proximiores magno impetu extrudant, qui ventum impetuosum producunt. Pari modo vapores, Solis calore, vel alia vi elevati, & per aërem dispersi, si à montibus, nubibus superimpositis, aëre à ventis oppositis impulso, vel alia caussa in angustum redacti, impedianter, ne undique se dilatent,

Qua data porta ruunt, & Terram turbine persant,
 & quidem versus eam partem, ubi vapores alii condensati, & minus spatium occupantes, ipsis cedunt. Quibus de *Ventorum* generatione suppositis, ratio redditur, cur mane Orientales, vespere Occidentales venti spirent. Cur in maris litore degentibus ventus interdiu è mari, noctu verò è Terra spirare observetur. Cur venti è Terra venientes æstate quidem calidi sint, hyeme verò frigidi; contrà verò qui è mari, &c. Quomodo etiam Renatus ventum continentum ab Oriente venientem sub Zona Torrida conspicuum explicet, vide apud ipsum. Venti denique fisci sunt, vel humidi, salubres, vel nocui, quandoque etiam pestiferi, tum ratione locorum, unde oriuntur, tum etiam ratione corpusculorum, quæ secum deferunt.

Si vapores ex frigore superioris aëris, vel vi ventorum, inter se compressi, & condensati, in aquæ guttulas coëant, si quidem prope Terram condensantur, *Nebulas*, si longe & superius, *Nubes* producunt. Cùm verò ob intensissimum aëris frigus vapores à materia subtili cum ipsis mixta flœcti nequeunt, & sibi invicem adhærent, tunc in exiguos *Glaciei* floccos vertuntur.

Si *Nubes* ita fortiter à ventis coarctentur, & densentur, ut earum partes sibi invicem adhærentes, ponderosiores reddantur, ut inferioris aëris resistentiam superare valeant, tunc in Terram decidunt, vel *Nivis*, vel *Pluvias*, vel *Grandinis* formam præferentes. Sub *Nivis* quidem forma, si *Nubis* partes simul junctæ, à vehementi frigore obrigerint, & sic rigidæ descendant. Sub *Pluvias* verò specie, si aëris, per quem transeunt, calore penitus liquefiant. Si tamen jam liquefactæ decidentes frigidum ventum prope Terram offendunt, rursus coactæ *Grandinem* constituent.

Tempestates cum sola pluvia, & vento fortiori, quales in mari frequenter ob majorem vaporum copiam accidunt, & quas etiam hirundines humilis volitantes, & muscas à vento ab alto descendente deorsum propulsas, capantes prædicere solent, à nube, vel nubibus ab alto simul descendantibus, subiectumque aërem impetu propellentibus, & vehementissimum ventum, modi cum tamen tempus durantem, generantibus ortum habent. Hæs Oceano, præcipue prope Promontorium Bonæ Spei, formidabiliores nostri nautæ vulgo *Travadas* vocant; easque prædicunt visa exigua nube, quam à simili forma *Oculum bovis* appellant: quæ quidem nubes quod minor initio apparuerit, eò maiorem Tempestatem portendit: signum enim est, eam ex alto descendere, unde maiorem impetum acquirat.

Ignes Sandi Helmi à nautis dicti, sunt exhalationes à vaporibus separatae, & simul congestæ vi ventorum, quæ postquam hac illac fluctuaverint, navis funibus, vel malis adhærentes, à Tempestatis agitatione acciduntur. Si ignis unus est, quem *Helenam* vocant, malum portendit; significat enim, Tempestatem

statem adhuc fortē instare, non exhausta scil. ejus materia. Si duo appareant, quos *Castorem*, & *Pollucem* dicunt, hi exhaustam Tempestatis materiam, ac serenitatem mox futuram pronunciant. Si denique tres, vel plures appareant, malum; abundantem enim Tempestatis materiam denotant.

Tempestates Fulgure, Fulmine, & Turbine s̄evientes, sic gigni Cartesius opinatur. Cūm plures nubes Tabulatorum instar unā aliis superstratæ sint, ut invicem distent; si aēr calidus prius superiorē nubem, quam inferiorem, liquaverit, & ponderosiōrem reddiderit, tunc superior hæc inferiorem irruens, cum fragore, impetu, & sonitu decidet, & *Tonitru* producit: eodem modo, qno olim in Alpibus circa mensē Majum se vidisse, Cartesius ait, nives liqueſcentes, & in valles præcipitantes, fragorem, Tonitru non abſimilem produxisse. Unde etiam liquet, cur hyeme rarius, æſtate frequentius tonet; hyeme enim ſufficiens calor non eſt, qui nubibus diſſolvendis ad ſuperiora uſque pertingat.

Quod ſi contingat, ut nube ſuperiori in inferiorem cadente, tanta in aēre intermedio exhalationum copia ſit, quæ valeant conſtrictæ, & collectæ ob vim, & impetum cadentis nubis ignem concipere, tunc illæ accensæ, & per nubis latera exeunteſ, *Fulgur* efficient; quod potest etiam ſine tonitru ſuperveniente contingere vel ob nubium diſtantiam, vel quia nubes ſuperior exilis existens, notabilem fragorem producere non valet. Contrà verò ſi exhalationes in eo nubium ſpatio intermedio non ſit, vel ob aliquam cauſam accendi nequeant, tunc tonitru ſine coruſcatione exauditur. Quod ſi nubes ſuperior magna existens, & per partes ſe muuō consequentes decidat, & intermediae exhalationes accendantur, tunc & *Fulgur*, & *Tonitru* producuntur.

Si autem nubes ſuperior tota ſimul velociter decidat, tunc *Turbines* etiam generantur. Cūm enim extremæ partes nubis celerius descendant, quam intermediae, quia aēr extremitatibus ſubjectus, minus itineris ad inde egrediendum perficiens, deincidentibus extremitatibus facilius cedit, quam aēr partibus intermediis ſubjectus; fit, ut multo aēris inter utramque nubem incluso, & à cadente nube compresso, hic magna vi, vel ſubjectam nubem, vel latera diſtrumpens, cum impetu egrediatur, magnaue violentia in Terram irruens, ex ea iterum ascendet, ſe celeriter circumagendo, & ſic *Turbinem*, mare ex imo avertentem, & in columnam attollentem, turres evertentem, arbores annosas etiam evellementem, producit: qui ſine fulgere, & fulmine eſſe potest, ſi exhalationes, quæ accendantur, ibi non fuerint.

Atqui ſi in aēre utramque nubem interjacente exhalationes multæ ſint, hævi tempeſtatis accensæ, & eodem impetu in Terram cum turbine ruentes, *Fulmen* producunt; quod pro ratione partium componentium vel tenuiorum, vel crassiorum contrarios effectus gignere ſolet. Lapis tamen ille durifimus ſimilis ſilici Pyritæ generari potest à crassioribus exhalationibus, in ſubtiliorum accenſione ſimul concreſcentibus, & in lapide obdureſcentibus: non ſecus ac terra in vase aqua pluvia pleno ſubſidens in lapide concreſcit, additis ei nitro, & fulfure, & ſimul accenſis.

Stellæ Cadentes, Excurrentes, & Trajicientes dictæ, & in aēre ſine tempeſtate ad modicum apparentes, generantur ab exhalationibus tenuioribus, à ventis, vel ſimili cauſa accenſis, & ob eorum tenuitatem ſtatim extinctis. Qui verò diutius durare ſolent *Ignes Fatui*, & *Lambentes* dicti, à crassioribus exhalationibus producuntur.

Iris, quæ in aēre, aquis averso Sole cadentibus, observatur, à varia luminis reflexione, & refractione, in aqueis illis guttis labentibus facta, procedit. Quam ſuam de Iride ſententiam confirmat exemplo Iridis, per pilam

vitream rotundam, pellucidam, aqua repletam, & Soli in adversa parte ad talem altitudinem objectam, productæ: nec non illius, quæ in aqua à fontium fistulis, vel oris aspergine, averso Sole, emissæ generatur; atque ejus, quæ fit à Prismate vitro triangulari, per cuius foramen radii luminis egredientes in objecta charta, vel albo linteo Iridis colores depingunt. Iridis igitur caussam accuratius examinans, afferit, Iridem primariam quidem à radiis bis refractis, semel verò reflexis; secundariam verò à radiis bis reflexis, bilque refractis representari: ideoque hujus colores coloribus primariæ debiliores, & minus conspicuos esse.

Ex dictis educit primò, unumquemque hominem suam Iridem videre; radii enim luminis non iidem, sed diversi ad diversorum oculos pertingunt. Secundò, eò majorem Iridis arcum videri, quò Sol Horizonti proximior erit. Tertiò, non esse à ratione alienum, quod multi affirmant, integrum scil. quandoque Iridem visam fuisse; quod contingere potuit, si spectatore supra altum montem, Sole verò in Horizonte constitutis, linea ex centro Solis ad oculum spectantem tradueta, altissime supra Horizontem elevetur. Quartò Iridem, quandoque inversam apparere posse: si integra cum sit, superior ejus pars nube aliqua obtegatur: sive, ut Renatus mavult, si radii in maris, vel lacus superficiem incidentes, reflectantur in decidentes aquæ guttas, ex quibus reflexi, & refracti ad oculum perveniant. Quintò, Iridem, quæ in aquæ pluviae guttis efformatur, eandem & in pratis, roris guttis madentibus, gigni posse, hisce idem, ac illæ, efficientibus.

A^νθωρες Græcè, Latinè *Areæ*, sunt Coronæ illæ splendentes, quæ sereno Cœlo circa sidera apparent. Hæ sidus aliquod pro centro habentes, modò parvæ, quarum scil. diameter quatuor, vel quinque graduum sit; modò magnæ, quarum scil. diameter ad 45. gradus extendatur, videntur, ac modò etiam rubræ, modò albæ, dilutive coloris observantur. Earum autem naturam, ut de Iride dictum, in varia luminis refractione ponit. Radii enim Solis, Lunæ, alteriusve sideris in particulas glaciei in modum stellarum efformatas impingentes, in his particulis, quæ crassiores in medio sint, quam in partibus extremis, refracti, & sub eodem angulo ad oculum delati, Coronas illas diversimode coloratas circa sidera producunt. Coronæ verò illæ, quæ à lippientibus, vel oculos diu compresos habentibus videntur, nulli corpori externo, sed ipsis oculis radios luminis varie detorquentibus, & refrangentibus, tribuntur. Pari modo radii illi bini, quorum alter superiori, alter inferiori parti candelæ adhærere videtur, à dupli radiorum candelæ reflexione producuntur: superior enim candelæ radius qui videtur, ab inferioribus candelæ radiis repræsentatur, & contra; sicut ipsa manu aliquam candelæ partem obtengente experimur.

Imagines i' æ in nubibus efformatae, quæ si plures Soles repræsentent *Παρηλία*, *Parhelia* à Græcis dicuntur; si verò plures Lunas *Παρασέλων*, Parafelenæ; à nubi us, ventorum vindique compressis, & rotundatis ortum habent. Si enim alicujus hujusmodi nubis exterior superficies calidiori vento, vel Solis radiis liquefacta, frigore venti ex opposita parte venientis iterum condensata, crustam quandam, sive anulum glaciei, interiorem nivem circumdantem efficiat; tunc Solis radii in hanc politam, ac veluti crystallinam glaciei superficiem incidentes, varieque versus nivem contentam reflexi, & refracti, duas, aut plures Solis, aut Lunæ imagines sub eodem circulo repræsentabunt. A qua sententia non multum distare videtur Ammianus Marcellinus, qui lib. 20. Rer. Gest. de Parheliis ita scribit: *Sol autem geminus ita videri existimat*, *si erecta solito celsus Nubes, aeternorumque ignium propinquitate collucens,* *orbis*

orbis alterius claritudinem, tanquam è speculo puriore formaverit. Denique Meteoron illud celebre Romæ visum die 2. Martii 1629. duas scil. Halones, aliosque Soles circa Solem visos: hujus Meteori relationem, iconem, & explanationem, Vide apud Cartesium cap. ult. Meteoron.

Plantas, & Bruta improprie Animata dici, ait: unamque esse Animam Rationalem hominibus tantum tributam. Quod autem Plantæ nasci, crescere, & vivere quodammodo, ac mori videantur, id externæ prorsus causæ tribuendum. Et quidem Plantæ exortus à varia succorum Terræ, & cujusque Plantæ semen fermentatione, sive à Solis calore succos agitante, sive ab aquis pluvialibus salia Terræ dissolventibus, sive denique à succis diversæ naturæ invicem occurribus, circa Terræ superficiem producta, dependet. Terræ enim succus semen sibi commissum circumdans, vi exterioris fermentationis propulsus, poros tunicarum seminis, crassæ quidem tunicæ latiores, tenuis verò, & tenuissimæ strictiores, ingreditur, per quos continua percolatione depuratus, seminis lobos subit, quorum succo peculiari permistus, novam patitur fermentationem. Qua fermentatione subtilior, & parior redditus, radicis seminalis ramulos subit, per quos varie dispescitur. Hic succus ob continuam alterius venientis succi pulsionem sursum ad seminis plumam, deorsumque ad radiculam fertur; magis autem ad radiculam, quæ ideo crescit priusquam pluma sensibiliiter supra Terram attollatur. Hoc igitur pacto adaucta radicula uberiorem succum à Terra per proprios poros recipit, qui contrariam motus determinationem habens, cogit succum è lobis venientem secum ad plumam ascendere; sique pluma, & lobi his succis adaucti assurgunt, radicula sub Terra relicta.

Succus hic nutritius Plantarum non pura aqua est, sed aqua sale nitroso permista. Qui succus licet homogeneous diversos in Plantis odores, & sapores producit pro diversitate pororum plantarum, quibus configurari debet. Atque hinc est, quod surculus sativus agresti trunco insitus dulces fructus gignat; succus enim nutritius ex agresti trunco veniens, & surculi poros subiens, partium figuram, & sic indolem mutare engitur.

Succus autem hic nutritius radicibus communicatus per Plantæ fibras sursum ad truncum, ramos, frondes, &c. aseendit pro eorum nutritione, & aetione; quod autem residuum à nutritione est, per alias fibras ad radices iterum descendit, ut novam ibi perfectionem acquirat, & sic iterum præparatum ascendet: itaut continua quadam Circulatione (non secus ac sanguis in corporibus animalium per arterias è corde fluit, ac per venas iterum ad cor refluit, ut perfectior ibi redditus ad corporis membra iterum redeat) ascendat per fibras illas, quæ arteriarum loco stare videntur; per alias verò descendat, quæ venarum officio funguntur. Quæ omnes Plantarum fibræ non immerito Vasa Circulatoria appellantur. Pars verò illa in qua radices cum trunco in Terræ superficie junguntur, Plantarum Cor dici posset. Quibus positis, omnium de Plantis Phænomenon ratio redditur. Causa verò succum hunc è terra attollens, eadem plane est, ac quæ vapores sublevat; Solis scil. calor, ipsius partesagitans; ad id quoque concurrentibus fermentationibus in Terræ superficie continuis, potissimum verò post pluviam.

Plantarum Propagatio omnis fit per semen ejusdem generis, vel radicum, virgarumque transplantationem, quæ pro semine sunt, & sine semine nulla dari potest Plantarum productio: quod probatur ex Genes. 1. Omnia igitur Plantarum genera, quæ nunc sunt, initio Mundi fuere, ac talia à Deo creata fuisse existimatur.

Animalia omnia tum Ovipara, tum Vivipara ex ovo feminæ, maris semine

mine fæcundato, nascuntur. Neque alia est Ovipara inter, & Vivipara differentia, quām modus excubandi ova; Ovipara enim ova extra se excubant; Vivipara verò propria ova intra uterum excludunt, ac deinde vivos fœtus pariunt. Ex quo nulla datur *Generatio ex putri*, ut putarunt veteres, afferentes, Insectorum, quæ Animalia imperfecta vocabant, generationem sine ullo semine ex sola putredine fieri posse. Enimvero putredo non nisi aptum locum, ac veluti nidum ad insectorum ova excludenda ob suum calorem, & fermentationem idoneum præstat. Qua de re optime, quām cæteri, scripsit eruditissimus Franciscus Redi. Nec rationi consonum putatur, quod ait Henricus Regius, posse quidem animalia ex fortuito partium terrestrium concursu sine semine generari.

Bruta Animalia nullam prorsus Animam habere, sed esse mera Automata, sive Machinas quasdam à Deo ita affabre constructas, ut sine ullo Animæ regimine, sed sola organorum, ac partium similarium connexione, & correspondentia, omnes animales motus, & operationes, et si miras, ex mechanica tantum efficient necessitate, affirmat, multisque probare nititur argumentis Cartesius, & post ipsum Cartesiani. Quorum præcipuum est: Hæc *Anima Sensitiva*, quam Brutis tribuunt, vel *Spiritus* est, vel *Corpus*. Si *Spiritus*, cùm hujus essentia in cogitatione consistat, dicendum esset, animalia cogitare, quod absurdum est. Si *Corpus*, vel *Anima Corporea*, dummodo nomine *Animæ Corporeæ* intelligentur spiritus animales, qui omnium motuum, & actionum cauſa proxima sunt, in id etiam Machinistæ consentiunt; tantum enim negant, hos spiritus à substantia ab ipsis distincta gubernari. Si enim substantia hæc à Brutorum corpore distincta admitteretur, etiam post emortua Brutorum corpora subsisteret, cùm substantiæ proprium sit, ut independenter ab aliis existat; ac proinde æterna erit; quod rationi æque ac Religioni repugnat. Vanum etiam, inquiunt, est effugium, quod sit Substantia Incompleta; nam neque relate ad se, neque relate ad totum dici possit Incompleta, ut patet.

Brutis hanc *Animam* tribuendi, ajunt Machinistæ, nulla necessitas est, cùm omnes Brutorum functiones per solas Mechanicæ leges fieri posse, facile explicetur. Omnes enim sive motus, sive sensationes à solis spiritibus animalibus, varie ab objectis externis effectis, & in has, vel illas corporis partes influentibus oriuntur. Ut autem spiritus animales, qui *Physica*, sive, ut alii dicunt, *Materialis* motuum, & sensationum cauſa sunt, ad hos potius, quām illos musculos ad motum edendum influant, non debent necessariò ab Animæ voluntate determinari, ut præter alios putat *Sylvanus Regis Phys.* lib. 7. part. 2. c. 11. sed sufficit, si ab objectis externis determinentur. Quæ cauſæ externæ quatuor esse possunt, *Locus* in quo est objectum; *Qualitas* suæ actionis; *Dispositio* fibrarum cerebri; & *Diversa* externorum membrorum aptitudo. Pariter etiam modo Brutorum *Passiones*, *Memoriam*, *Indolem*, *Docilitatem*, &c. explicant per varium spirituum, & sanguinis motum, prout scil. varie ab objectis externis determinentur, & moveantur.

Hac autem in re apud antiquos, & recentiores Philosophos tam controversa non abs re mihi videtur referre hic, quod habet alias laudatus P. Malebranche de *Inquir. Verit.* loc. cit. qui, postquam fusius probavit rationibus supra adductis, nullum corpus posse aut seipsum, aut aliud movere; neque spiritum creatum esse cauſam motus, sed solum Deum esse primam, & veram cauſam omnium motuum, reliquas verò tantum Naturales, sive *Occasionales*; afferit, Deum ad occasionem, sive determinationem voluntatis in corpore, cui *Rationalis Anima* præst, motus Voluntarios efficere; Involunta-

Iuntarios verò, sive necessarios, secundum Mechanicæ leges, quas semel sibi proposuit, producere ad occasionem alterius corporis. Sic pariter occasione hujus, vel illius corporis, quod canis, exempli causa spiritus in cerebro per nervos ita afficit, Deus spiritibus animalibus ad hæc, vel illa corporis membra movenda motum communicat. Deus igitur, qui omnia intime penetrat, cunctis motum tribuit per solam suam voluntatem, occasione quidem voluntatis humanæ in motibus Voluntariis; alterius verò corporis, & secundum Mechanicæ leges, in motibus Involuntariis, qui hominibus cum Brutis communes sunt, & omnes æque Necessarii. Neque vero hinc Deus esset causa peccati, sicut & autor motus Voluntarii; peccatum enim non in actu Physico, sed in voluntatis determinatione consistit. Secundum quam sententiam deinde explicatur, quomodo Bruta tot mira efficiant, quibus Homines etiam sapientia superare videntur: Sapientia enim Creatoris est, non Brutorum.

Hæc tamen sententia, omnem prorsus Animam Brutis denegans, longe ante Cartesium propugnata fuit à celeberrimo sui ævi Philosopho Gomito Pereira, Medico Methinæ Duelli, qui an. 1554. librum, nostro ævo rarissimum, edidit, cui ex Patris, & Matris nomine titulum fecit: *Antoniana Margarita*; in quo omnem Brutis sensum, & Animam ut admireret, variis argumentis usus est; quorum hoc unum: Si Bruta ut homines sentirent, jam ut homines etiam externa cognoscerent, & mentaliter conciperent. Si autem mentaliter res tales cognoscerent, quales in se sunt, jam inter eas distinguerent. Sed hoc fieri nequit sine Rationis opere præcipuo. Ratio enim ex August. lib. 2. de Ordine, est vis animi distinguendi, & connectandi potens. Ergo Bruta dicenda essent Rationalia; quod est absurdum, &c. Inter alia denique argumenta, quibus varii autores Brutorum Animam reprobare contendunt, illud etiam est Divi August. qui ait, Bruta nec voluptatem, nec dolorem, nec aliam ullam sensationem habere posse. Si enim, inquit, Bruta dolorem sentirent, Deus injustus videretur; dolor enim in pœnam peccati est. Sed Bruta nullum peccatum nec Originale, nec Actuale habent, nec reprobationem expectant. Ergo dolorem injuste sentire non debent. Videatur, præter cit. Autores, doctissimus P. Malebranche in Apologia contra Mr. de la Ville; Antonius le Grand in Tract. de Carentia Sensus, & Cognitionis in Brutis; Anonymus Gallus in Tract. de l'Ame dell'Homme; atque alii de Anima Brutorum tractantes, inter quos P. Pardies Jesuita, qui animam Brutis satagit vindicare.

Sed à Brutis ad *Hominem*, qui Cartesianæ Philosophiæ Epitomen claudat, transeamus. Animæ Sedes principalis est *Glandula illa*, quæ in cerebri medio sita, à Græcis *Kvadros*, Latinis *Pinealis* à figura vocatur. Idque ex eo potissimum dedit Renatus, quia una in corpore est, & in eam nervi omnes, sensuum, & motuum organa terminantur. In hac autem Glandula Pineali Animæ immediate ita suas functiones exercet, ut per variam Glandulæ inclinationem varie spiritus animales, veluti tot radios per corpus diffundat, corpusque moveat, & afficiat; contrà verò spiritus ab variis causis varie moti, & affecti, varie Glandulam inclinent, & Animam afficiant. Neque obstat, quod multi cum Bartholino opponunt, quod Glandula hæc sit exilis; quod exrementis, & Capillis referta, aut in lapidem mutata reperta quandoque sit. Quibus Cartesiani apprime respondent.

Prætermisso ijs, quæ de Cerebri, ejusque Ventricolorum, Nervorum, & Spirituum Animalium natura docet Cartesius (quæ ex Medicis libris melius peti possent) quid sit *Memoria* ex ejus doctrina adnotabo. Ait igitur, filamenta, quæ cerebri substantiam componunt, non levia, & teretia esse, sed parvos ramulos, seu pilos hac illac eminentes habere; itaut si nullus foret spi-

spirituum animalium per cerebrum cursus, considerari posset cerebrum tanquam densa sylva, herbis, fruticibus, & arboribus resertissima, per quam nemo unquam transivit. Si per hanc Sylvam viator, sera, aut torrens transiens viam yi sibi fecerit, plantarum ramusculis versus unam partem inclinatis, hujus viæ vestigium remanebit, donec per eam contrario motu quispiam transierit, vel longa transitus intermissione fuerit oblitterata. Eodem plane modo per influxum spirituum animalium per hos, vel illos cerebri meatus, fibrillarum, seu filamentorum ramusculi, sive pili versus contrariam partem inclinantur: cujus viæ vestigia tandiu remanebunt, quandiu à contrario spirituum incursum libera erunt. In hoc igitur Memoria reponitur, ut spiritus animales facile per easdem cerebri vias transire possint, quas sibi vi prius excavarunt. Hæc autem vestigia obliterantur, si per longum temporis spatium easdem vias non percurrerint, vel contrario per eos motu ferantur; sic enim ramusculis, seu pilis in contrariam partem inclinatis, vel invicem implicatis, Memoria deperditur.

Motus, & Sensus omnes à nervis, & spiritibus animalibus per nervos toti corpori communicatis, fieri, ait. Caussæ verò, Glandulam ad has, vel illas nervorum fibrillas inclinantes, præter Animæ voluntatem, plures aliæ sunt, ut objectorum externorum in sensuum organa actio, atque eæ omnes tum internæ, tum externæ, quæ spirituum motum varie determinare possunt. Sensus igitur est facultas Animæ percipiendi objecta externa, quæ suo contactu immediate corporis organa afficiunt: sive hæc objectorum actio per spiritus animales in nervorum fibris contentos, sive per filamenta nervea in nervorum tubulis positæ, à sensuum organis ad cerebrum usque communicetur. In Anima itaque secundum leges unionis cum corpore ex vario modo, quo filamenta hæc nervosa, sive spiritus animales, Glandulam afficiant, varia sensationis idea excitabitur. Species verò, sive Qualitates Sensibiles dictæ non corporibus inhærent, sed Animæ. Si filamenta hæc nervea in debito, & naturali tono non sint, sed relaxentur, tunc motus ille ab objectis sensuum organis impressus, ob fibrarum flacciditatem cerebro non communicatur, & sic Somnus inducitur. Contrà verò iisdem filamentis in debitum, ac naturalem tonum redeuntibus, ac motibus usque ad cerebrum transmissis, animal dicitur evigilare.

Tactus Sensuum omnium universalissimus est: unde ad hunc solum omnes Sensus, quos Externos vocant, reduci posse, multi contenderunt. Et quidem aër à corpore sonoro percussus, aurum organa tangens, Auditum producit: halitus è corpore odoro emanantes, narum nervos tangentæ, Odoratum efficiunt; & ita de reliquis. Tactus organa sunt fibræ nerveæ à cerebro ad universum corpus diffusæ, quæ in cuti terminantes, in ipsa papillulas quasdam pyramidales efformant, quæ motus sibi ab objectis impressos, per filamenta in tubulis nerveis inclusa ad Glandulam usque transmittunt: qui motus, secundum legem unionis Animæ cum corpore, varias qualitatum tangibilium ideas in mente excitabunt. Si enim nervosa hæc filamenta ab objectis leniter afficiantur, salvaque corporis constitutio remaneat, voluptatis sensatio fiet; contra verò doloris. Sic etiam levia esse corpora mens judicat, si ex eorum tactu plura filamenta æqualiter trahantur; aspera verò si inæqualiter. Par de reliquis ratio habenda.

Gustus organum immediatum lingua est, ac præcipue ejus papillæ nerveæ per universam linguæ superficiem disseminatæ: quæ vel nudis oculis observantur in lingua felis, è qua veluti tot cornua assurgentæ, eam asperam reddunt. Varii autem sapores à vario motu papillulis istis impresso à salibus varia figura præditis, dependent; nec non à varia organarum dispositione, & textura.

Ode.

Odoratus fit per extrema filamenta nervorum olfactiorum, quæ lamellæ quasdam osseas in fundo narum sitas vestiunt; ut communis opinio est: quamvis non desint, qui Odoratum in processibus mammillaribus, intra os Cribriforme sitis constituant. Halitus igitur à corporibus, quæ odora vocamus, exhalantes, & nervos olfactios cum impetu in aëris respiratione ferentes, oどrum sensationes in Anima excitabunt. Quare pro varietate motuum dictis nervis impressorum, & varia organorum dispositione, variæ odorum sensationes habentur. Notandum, particulas odoras subtiliores esse particulis fœtidis: hinc corpus odorum eas eminus, foetidum cominus emittit.

Nervi ad internas aurium partes, Labyrinthum scil. & Cochleam è cerebro protensi, si ab aëris tremulo motu, sive undatim facto, à corporibus sonoris dictis producto, feriantur; hi motum illum usque ad Animæ sedem communicantes, Auditum producent, varias soni ideas in ea excitando. Tremulus hic motus similis ei est, qui in chordis altera tantum extremitate pulsatis observatur. Contrà tamen alii putant, motum aëris, per quem sonus communicatur, non tremulum, & undatim fieri, sed propagari per lineas rectas, ductas à puncto ictus quaquaversum sphærice secundum omnes dimensiones; hoc est, primis aëris particulis secundas, secundis tertias sibi contiguas, & sic deinceps per lineas rectas impellantibus.

Lumen est motus quidam, seu potius conatus, pressio, vel prima præparatio ad motum: qui conatus materiæ cœlesti circumjacenti à corpore luminoso impressus, & quaquaversum diffusus, ad intimam oculorum membranam, Retinam dictam, ab extremitatibus nervorum opticorum contextam, perveniens, sensationem, quam Luminis appellamus, in mente excitat. Semper igitur ac materia primi Elementi simul unita vim habet materiam cœlestem circumfittam propellendi, luminis sensum producet; ut in Sole, aliisque luminosis corporibus observatur. Per quam propensionem ad motum, facile explicari ait Renatus, cur Lumen ad maximam etiam distantiam momento temporis perveniat; propter perfectam enim globulorum contiguitatem pressio hæc remotissimis etiam corporibus illico communicatur: quod exemplo cæci viam tentantis ipse confirmat. Sic etiam radii Luminis, qui per Cartesium sunt lineæ rectæ, per quas hæc Luminis actio tendit, licet infiniti ferme à corpore luminoso procedant, & se se intersecant, & tamen alter alterius actionem non impediatur. Cur Luminis actio ab aëre, & ventis non impediatur; & his similia.

Colores non esse, ait, qualitates corporibus inhærentes, sed varias Luminis modificationes. Lumen enim à varia objectorum superficie secundum variam reflexionem, & refractionem modificatur; siveque modificatum ad oculos perveniens, variorum colorum ideas producit. Non secus ac, Cartesius ait, cæcus baculo res obvias explorans, ex varia resistentia, quam in obviis corporibus deprehendit, aquam à lapide, lapidem à pulvere, &c. distinguit; ita ex varia radiorum à corporibus ad oculos venientium modificatione, sive resistentia, quam in corpora impingentes habuere, reflexione, & refractione, colorum varietas deprenditur. Existimat etiam, Colorum varietatem à varia proportione conatus circa proprium centrum cum proportione conatus secundum lineas rectas pendere. Globuli enim non solum secundum lineas rectas à corpore luminoso productas, sed etiam circa proprium centrum ex varia corporum occurrentium resistentia, moveri conantur. Si igitur radii in corporis alicujus superficiem incidentes quaquaversum diffundantur, ut vel omnes ad oculos perveniant, tunc *Album Colorem* in ipsa repræsentabunt: contra tamen si corporis superficies ea sit, quæ Luminis radios veluti absorptos suffocet; tunc qui pauci

revertuntur, illam *Nigri Coloris* indicabunt. Itaque prout Luminis radii pauciores, vel plures ad oculum à corporibus pervenient, & prout varius uterque globulorum conatus erit; vel sub vario reflexionis, & refractionis angulo (ut de Iride dictum) radii revertuntur; obscuriores, vel clariores Colores observantur.

Visio autem (suppositis iis, quæ Cartesius cum aliis Mathematicis in Dioptrica habent; & quæ de oculorum structura Anatomici docent) ita perficitur. Radii luminis ab objectis ad oculos venientes, triplicem in iis patiuntur refractionem, unam in ingressu humoris Aquei, secundam in ingressu Crystallini, tertiam in egressu ab eodem: deinde sic refracti iterum uniuntur in fundo oculi, hoc est in Retina, in qua parvam quandam imaginem depingunt, similem objecto, unde radii venerunt, sed inversam. Quod clarum fit experimento domus perfecte obscuræ, sed unum tantum foramen habentis, per quod radii ingredientes in apposita ad debitam distantiam charta, ea, qua foris sunt depingunt, sed inversa: quod etiam in oculo bovis observatum est. Visus autem sensatio non in hujus imaginis pictura consistit, sed in vario motu, quem radii filamentorum opticorum extremitatibus, ex quibus Retina contexta est, impriment. Ad visionem itaque efformandam & luminis radii, & recta organorum dispositio requiruntur. Etsi autem duæ imagines in Retina pinguntur, unum tamen objectum Animæ repræsentatur, quia in analogis oculorum locis pictæ sunt; unde fit, ut in eandem cerebri partem concurrentes, eodem modo Glandulam afficiant, ac si ab uno objecto afficeretur; non secus ac una res duplice manu tacta, una per duplum manum Animæ repræsentatur; & chordæ unisonæ unum sonum edunt. His de Carthesiana Physica adnotatis, ad Ethicam veniamus.

ETHICA.

QUAMVIS Cartesius perfectum, absolutumque de Ethica Tractatum non confecerit; hujus tamen tam necessariæ Philosophiæ partis veluti Principia, certasque Regulas tum in sua Methodo, tum in Tractatu de Passionibus Animæ reliquissæ videtur. Et quidem in Meth. art. 3. has Regulas ad honeste, beateque vivendum sibi sufficiisse, aliisque etiam suffectoras, affirmat: inquiens: *Atque ut ab illo tempore vivere inciperem quam felicissime fieri posset, Ethicam quandam mibi effinxi, quæ tribus tantum, aut quatuor Regulis continebatur; quas hic non pigebit adscribere.*

Prima erat, ut legibus, atque institutis patriæ obtemperarem, firmiterque illam Religionem retinerem, quam optimam judicabam, & in qua Dei beneficio fueram ab ineunte ætate institutus; atque me in cæteris omnibus gubernarem juxta opiniones quammaxime moderatas, atque ab omni extremitate remotas, quæ communi usu receptæ essent apud prudentissimos eorum, cum quibus mibi esset vivendum, &c.

Altera regula erat, ut quammaxime semper propositi constans, & tenax essem: nec minus dubitanter, atque incunctanter in iis peragendis perseverarem, quæ ob rationes valde dubias, vel forte nullas suscepseram, quam in iis, de quibus plant eram certus. Ut in hoc viatorum consilium imitarer, qui si forte in media aliqua sylva aberravint, nec ullum iter ab aliis tritum, nec etiam versus quam partem eundum sit, agnoscant; non ideo vagi, & incerti modò versus unam, modò versus alteram rendere debent, & multo minus uno in loco consistere, sed semper rectâ, quantum possunt, versus unam, & eandem partem progressi; nec ab ea possea proprie levies rationes defodiere, quamvis forte

forte initio plane nullas habuerint, propter quas illam potius, quam aliam quamlibet eligerent. - - - - Atque hoc sufficiens fuit ad me liberandum omnibus istis anxietatibus, & conscientiae mortibus, quibus infirmiores Animæ torqueri solent: quia multa saepe uno tempore ut bona amplectuntur, quæ postmodum, vacillante judicio mala esse sibi persuadent.

Tertia regula erat, ut semper meipsum potius, quam Fortunam vincere studerem, & cupiditates potius, quam ordinem Mundi mutare. Atque in universum ut mibi firmiter persuaderem, nihil extra proprias cogitationes absolute esse in nostra potestate; adeout quidquid non evenit, post quam omne, quod in nobis erat, egimus, ut eveniret, inter ea, quæ fieri plane non possunt, & Philosophi vocabulo impossibilia appellantur, sit à nobis numerandum. Quod solum sufficere mibi videbatur ad impediendum, ne quid in posterum optarem, quod non adipisceret, atque ad me hoc pacto satis felicem reddendum. Nam cum ea sit voluntatis nostræ natura, ut erga nullam rem unquam feratur, nisi quam illi noster intellectus ut aliquo modo possibilem representat; si bona omnia, quæ extra nos posita sunt, tamquam æqualiter nobis impossibilia consideremus, non magis dolebimus, quod ea forte nobis defint, quæ natalibus nostris deberi videntur, quam quod Sinarum, aut Mexicanorum Reges non simus. Et rerum necessitatibus voluntatem nostram accuratissime accommodantes, ut jam non tristamur, quod nostra corpora non sint tam parum corruptioni obnoxia, quam est adamas, vel quod alis ad volandum instar avium non simus instruti; ita neque sanitatis desiderio torquebimur, si ægrotamus, nec libertatis, si carcere detineamur. Sed fateor, longissima exercitatione, & meditatione saepissime iterata opus esse, ut animum nostrum ad res omnes ita spectandas assuefacere possimus. Atque in hoc uno, mibi persuadeo, repositam fuisse omnem artem illorum Philosophorum, qui olim fortunæ imperio se eximebant, & inter ipsos corporis cruciatus, & paupertatis incommoda de felicitate cum suis Diis contendebant. Nam cum assidue terminos potestatis sibi à Natura concessæ contemplantentur, tam plane sibi persuadebant, nullam rem extra se positam, sive nihil præter suas cogitationes ad se pertinere, ut nihil etiam amplius optarent; & tam absolutum in eas imperium istius meditationis usu acquirebant, &c.

Ut autem banc Ethicam meam concluderem, diversas occupationes, quibus in hac vita homines vacant, aliquandiu me expendi, atque ex iis optimam eligere conatus sum. - - - - Ac præterea tres Regulæ mox expositæ sati rectæ mibi visæ non fuissent, nisi in veritate per hanc Methodum investiganda perseverare decrevissem. - - - - Nam cum voluntas nostra non determinetur ad aliquid vel persequendum, vel fugiendum, nisi quatenus ei ab intellectu exhibetur tanquam bonum, vel malum; sufficiet, si semper recte judicemus, ut recte faciamus; atque si, quam optime possumus, judicemus; ut etiam, quam optime possumus, faciamus; hoc est, ut nobis virtutes omnes, simulque alia omnia bona, quæ ad nos possunt pervenire, comparemus. Si quis autem se illa sibi comparasse confidit, non potest non esse suis contentus, ac beatus. Postquam vero me his Regulis instruxisset, illasque simul cum rebus Fidei, quæ semper apud me potissimæ fuerunt, reservasset; quantum ad reliqua, &c.

De Passionibus Animæ, & quæ in specie de earum singulis tradidit Cartesius, non ea fert animus omnia recensere; sed in genere quid Animæ Passiones sint, & quomodo producantur, adnotare. Cartesius De Passionibus art. 27. eas sic definivit: Perceptiones, aut Sensus, aut Commotiones Animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur, & corroborantur per aliquem motum spirituum. Quæ autem Passiones sunt respectu unius subje-

Eti, semper sunt Actiones respectu alterius: quare quæ Passiones sunt respectu Animæ, Actiones erunt respectu corporis, vel objectorum externorum, quæ illas in Anima producunt.

Causæ Passionum vel immediatæ, & proximæ sunt, vel mediatæ, & remotæ. Proximæ sunt motus quidam, ut dictum, in cerebro, & spiritibus animalibus introducti: Remotæ verò objecta externa, & ea omnia, quæ tales motum spiritibus animalibus inducere valent, per quem in Anima Passiones excitantur. Quod si idem objectum uni unam, alteri alteram, eamque quandoque contrariam excitet Passionem; id vel à cerebri, reliquarumque partium dispositione diversa, vel à consuetudine ab ineunte ætate contracta, qua cerebri organa varie disponuntur, dependet.

Passiones omnes eò nobis tributæ sunt, ut per ipsas, quod nobis conveniens repræsentatur, avide prosequamur, quod verò disconveniens, respuamus. Verùm quoniam sèpe Animæ passiones quædam ut bona, & utilia repræsentant, quæ talia non sunt, & contrà; sedulò in id incumbendum, ut quid verè bonum, quid vere malum sit, ratione duce, non voluptate seducente, dignoscamus. A solo enim recto Passionum usu omne bonum hujus vitæ, contrà verè à malo earundem regimine omne malum dependet: imò ad solam de Passionibus Animæ doctrinam omnes Ethices canones reduci possunt. Quare ad rectum Passionum regimen instituendum, atque etiam animi tranquillitatem acqui-sendam (quod unicum vitæ bonum est) pauca, & generalia quædam monita, ad omnes Passionum impetus reprimendos utilia ex Cartesio, adnotanda coronidis loco, duximus. Illud autem imprimis sedulò animadvertisendum est, omnes Animæ Passiones (hominis naturâ per peccatum corruptâ, & ad malum pronâ) ad nos deeipiendos tendere; quare ab ipsis tanquam ab hostibus cendum est. Quod omnium potissimum, generalius, & facilius *A'leg'lnaxor* Cartesio dicitur.

Primum autem generale Remedium Passionum est: *Abstinendum nobis est à judicio ferendo, quandiu Passionibus agitamur*. Quod enim tunc temporis fertur judicium à confusa rerum cognitione procedit. Hinc ut omnes in judicando errores juxta Metaphysices regulas devitemus, à ferendo judicio abstinentum, cùm non satisclare res perspecta est. Quod si in ipso Passionum impetu judicium ferre cogamur, tunc, quantum pro viribus licet, eas rationes serìò meditari debemus, quæ mentem ad contrarium Passionis dictamini faciendum inducant.

Secundum: Cùm à nulla Passione agitamur, tunc & bona, & mala, quæ nobis contingere possunt, sedulò præmeditemur, eorumque justum pretium examinemus; ut cùm fortasse ea nobis acciderint, mens, quæ à Passionibus libera sèpius ipsa examinaverat, qualia, ac quanta sint, facile cognoscat, sicque mala fugiat, bona amplexetur. Nulla siquidem adeo debilis Anima est, quæ in has veritatum Meditationes incumbere assuecens, & bene seipsam regere, & aliquam etiam in suas Passiones potestatem habere non possit. Optimum igitur Passionum Remedium est *Sedula bonorum, malorumque futurorum Præmeditatio*.

Tertium. Non debet nostrum desiderium tam libere vagari; ut ad ea etiam, quæ ab aliis dependent, optanda cum quadam securitate consecutionis se extendet. Quæ enim ab aliis dependent, ita ab Anima optari debent, ut si ea non consequatur, nihil turbetur; dummodo tamen cuncta ad ea consequenda peregerit.

Quartum denique, & ultimum, idque fortissimum Passionum Remedium est, *Animam à dulcissima, ac potentissima Divini Amoris Passione teneri*; ut optime

optime advertit Cartesius in Epistolis. Mens enim nostra, quæ veluti particula quædam Divinæ Naturæ est, quod arctius suo Principio per Amorem adhæret, eò magis à corporis consortio, quo gravatur, se Jungitur, & sic à Passionibus, quæ à sua cum ipso unione dependent, liberatur. Accedit, quod cum nemo ex se ipso Passionum impetus frænare, naturales inclinationes, quibus ad malum proni sumus, ad meliorem usum sine Dei Gratia convertere possit; per hanc solam & à malis omnibus, noxiisque perturbationibus liberi erimus, & absolutam in nostras Passiones potestatem habebimus.

Atquæ hæc est totius Cartesianæ Philosophiæ Epitome, brevis quidem, sed exæcta; quam Historico more tractantes (non secus ac de Platonica, Stoïca, Pythagorica, Epicurea, Aristotelica, cæterisque factum est) aliis considerandam proponimus, ut ex ipsa, reliquisque quod optimum feligentes, Eclæticam, quæ omnium commendatissima, valeant efformare. Cartesii denique de Dioptrica, cæterisque Physico-Mathematicis, vel pure Mathematicis Disciplinis, sententiam, vel ex dictis facile quis educet, vel apud ipsum fusius, clariusque perleget, & advertet.

Si quis tamen hujus Epitomes Epitomen desideret, ecce eam ex Buddeo in Hist. Philof. succincta Delineat. p. 87. & seq. Præcipua ejus doctrinæ capita sunt. In Metaphysicis. De omnibus dubitandum, ut per hanc dubitationem ad tempus institutam, ejectis præjudiciis, quibus vel per præceptores, vel alto modo quovis imbuti eramus, facilius in primam aliquam veritatem venientes, ex ipsa gradatim in reliquarum cognitionem pervenire possumus: mens enim præjudiciis occupata cognoscendæ veritatis incapax omnino erit. Sensibus non est fidendum, quippe qui sæpius nos deceperint. Veritatis Criterium clara, & distincta mentis perceptio est: unde educitur, non esse verum, nisi quod clare, & distincte à mente percipitur. Hoc ordine philosophanti hæc prima occurret veritas, omnium veluti radix, & principium: Cogito, ergo sum. Ex idea nobis innata Entis summe perfecti, & ex idea perfectionis, & imperfectionis, quam certissime secunda veritas emanat, Deum, hoc est, Ens summe perfectum existere. Et quia Deus fallere, & falli nescius est, reliquæ inde veritates Metaphysicæ edificantur, Substantiam scil. existere, quæ in Spiritum, & Materiam dividitur. Et Spiritus quidem essentiam in Cogitatione, Materiæ verò in Extensione constere, inde clarum est, quod in consideratione Spiritus, qui non nisi ut intelligens concipi potest, prima idea, quæ menti occurrit, & clare, ac distincte concipitur, Cogitatio est. Materiæ verò essentia in Extensione reponitur, quia dum Materiam considero, omnium prima, & clarissima Extensionis idea menti se offert. His autem Substantiis proprii singulis modi sunt: & Spiritus quidem velle, reminisci, affirmare, negare, &c. Materiæ verò Divisibilitas, Figura, Impenetrabilitas: qui modi Materiæ dicuntur Essentials, quia de ejus essentia, sive natura sunt, sicut & Extensio, & omni Materiæ semper inhærent, ita ut omnis Materiæ necessariò sit divisibilis, figurata, impenetrabilis; ipsam tamen Materiæ essentiam, sive naturam non constituunt, ut Extensio, quæ omnium prima, & clarissime in Materiæ comprehenditur. Alii vero Materiæ modi Accidentales dicuntur, qui ad ejus naturam non spectant, atque esse, & abesse possunt, integra manente Materiæ natura, ut color, sapor, &c.

Physicæ, sive Naturalis doctrinæ summa secundum Cartesium hæc est. Deus creavit Materiam divisibilem, cui Motum indidit, per quem actu divisa est in varias quantitates, figuris variis prædictas. Ex qua Materiæ in varias quantitates, & figuris divisa, triplicis generis materia orta est, quæ tria constituit Elementa, materiam scil. primi Elementi subtilissimam, globulos secundi Elementi, & materiam crassiorem, ac variæ figuræ, quæ tertium constituit

stituit Elementum. Extensio, & Quantitas idem sunt ; majorem enim, vel minorem Quantitatem corpus aliquod habere idem est, ac majorem, vel minorem Extensionem, & contraria. Ex his tribus Elementis corpora cuncta componuntur. Formas Substantiales mera esse figmenta, id evincit, quod ex Materiæ divisione, figura, & motu juxta leges Mechanicas cuncta rite derivari possunt. Motus est, &c. Regulae Motus, &c. Materia indefinite divisibilis est ; omnis enim ejus pars etiam per quam minima semper extensa est, semper figuram habet, ac proinde partes componentes, quæ eis non actu dividi possunt, mente saltem divisibiles sunt, & invicem separabiles, cum alia ab alia sejunctim concipi, & existere possit, quod sufficit ad Materiæ in indefinitum divisibilitatem constituendam. Hæc Materia in indefinitum extensa, & divisibilis, & actu per motum divisa, in Soles innumeros coaluit, qui propriis Vorticibus innatant, eosque secum rapiunt. Ex Solibus istis, maculis obductis, Planetæ orti sunt ; ex quorum numero Tellus nostra est ; quæ circa proprium Solem à Vorticis motu ducitur per annum, dum interim singulis diebus circa proprium axem volvitur. Omnia animalia, excepto Homine, mera sunt automata, hoc est, machinae seipso non ex arbitrio, & voluntate, sed secundum statas, & necessarias Mechanicæ leges, moventes, Deo autore, & architecto tam affabre concinnatae, ut ad hanc, vel illam externi objecti occasionem, bi, vel illi necessarii motus ab ipsis excitentur. Accedit, quod si brutis substantiam ab eorum corpore distinctam tribuere velimus, hæc vel Spiritus erit, vel corpus. Si Corpus, cum hujus essentia in sola Extensione consistat, nullas ei, nisi Corporis proprietates tribuere possumus ; ac proinde tot mirabilium, quæ bruta efficiunt, causa esse non poterit, quæ à substantia quadam cogitandi, cognoscendi, judicandi veluti capace profecta videntur. Si hæc substantia Spiritus dicatur, hæc erit eterna, cum destrui non possit, &c.

Moralis doctrinæ ex Cartesio hæc epitome. Summum hominis bonum consistit in recto usu facultatum mentis, præcipue voluntatis ; hoc est, ut firmum, & constans propositum habeat id semper agendi, quod optimum esse censuerit. Virtus in eo mentis instituto, & vigore, per quem ad ea, quæ bona esse credimus, facienda ferimur. Affectus, qui Virtuti adversantur, sunt motus quidam corporei, quibus mens, speciatim intellectus, afficitur : dicendi ideo sunt Passiones Mentis. Quæ igitur de pugna rationis, & sensitivi appetitus dicuntur, de Mentis, & Corporeorum motuum lucta sunt intelligenda. Ad virtutum usum maxime conductit Generositas, qua homo nibil efficiat, quod sua dignitate, & quæ supra bruta eminet, præstantia indignum sit.

Sed à Cartesio ad Cartesianos, qui ejus Sectam vel illustrarunt, vel per edita sua Opera auxerunt, clarioremque reddiderunt, præcipuos tamen, & memoratu digniores, enumerandos accedamus.

HENRICUS REGIUS Ultrajectinus, publicus Philosophiæ, ac Medicinæ in patria Professor ex nova Renati des Cartes Philosophia quædam decerpens, suam confecit, cui titulus : *Philosophia Naturalis* ; licet in quibusdam à Cartesio dissenserit. Quod Opus Federico Henrico Principi Orange inscripsit : cuius inde gratiam, & opem est consecutus. Scriptit etiam *Fundamenta Medicinae*. Floruit seculo 16.

ANTONIUS ARNOLDUS nobilis Gallus, Doctor Sorbonicus, Antonii, celeberrimi Advocati Parisiensis filius, ex quo orsus est Parisiis 6. Februarii 1612. in Geometria, Philosophia, potissimum vero Theologia, omnibusque optimæ literaturæ studiis eruditissimus fuit, ut præclara ejus Opera testantur, plerumque *Annales* edita, quæ ad Volumina 135. ascendere dicuntur à Morery in sup. Lex. Hist. Hunc inter Cartesianos numerandum duximus, quamvis in primis

primis juventutis annis quasdam in Cartesii Meditationes objectiones fecerit, quas Renatus omnium solidissimas, & solitu difficultimas, quæ ab aliis unquam sibi fuerint oppositæ, existimavit; nam cæteroqui in aliis ab eo non dissentit. Cum P. Malebranche plures etiam habuit literarias contentiones super materia de Ideis, & de Gratia: qua de re plura hinc inde Volumina prodierunt. Contra alios etiam scripsit; quod cum nostri instituti non sit, silentio præterimus: sicut etiam edita contra ipsum Opera, ac varias, easque gravissimas persecutions, quas illum diu sustinuisse ferunt, ex quibus diu occultus vivere coactus fuit. Obiit 8. sive 9. Augusti 1694. æt. circiter 82. Præter Opera Theologica, Geometrica, & Erudita; inter Philosophica ejus sunt *Grammatica Generalis*, & *Rationalis*: *Objectiones in Cartesii Metaphysicas Meditationes*, & in P. Malebranche; *Ars cogitandi*: cuius vel unicus, vel ad maximam partem autor fuit, &c. Vide Perrault, *Hommes illustres de France*: Bayle, *Lex. Hist. Morery Sup. &c.*

JACOBUS ROHAULTIUS, natione Gallus, Mathematicis disciplinis cum primis addictus fuit; in quibus adeò profecit, ut eas Parisiis docuerit, ubi Domino Clercelier, Oratori doctissimo, carus fuit. Hujus rogatu Rohaultius omnia Cartesii Opera perlegit: *Commentariis*, vel *Notis* illustravit, & docuit: potissimum vero in id totus incubuit, ut *Physicam* ad Cartesii mentem concinnaret: quod & laudabiliter perfecit; eamque antequam evulgaret, Parisiis docuit annos decem, vel duodecim. Obiit 1675. ætatis 55.

ANTONIUS LE GRAND, quem quidam Cartesii *Compendi factorem* vocant, edidit *Historiam Naturæ per Experimenta secundum Principia Novaæ Philosophiæ*. Londini 1673. Librum etiam publicavit *De Carentia Sensus, & Cognitionis in Brutis*, ut Cartesii hac de re doctrinam confirmaret. In Rohaultii *Physicam Notas* composuit, quæ saepius editæ sunt. Vixit sec. 17.

PETRUS SYLVANUS REGIS, Philosophus inter Cartesianos celeberrimus, in Galliæ provincia Aginnensi natus an. 1632. post exacta humaniorum literarum, & Theologie studia, Cartesianæ Philosophiæ Parisiis totum se devovit, in qua ad aliquod tempus Rohaultium habuit præceptorem. Tolosam inde veniens, publicas ibi de Nova Philosophia Disputationes tam laudabiliter habuit, ut à Tolosanis annua pensione donatus sit. Parisium rediens an. 1680. eadem de re Disputationes instituit cum Lemery: sed post sex menses mandatum habuit, ut ipsis se abdicaret. An. 1699. in Regiam Academiam Scientiarum accitus, eximium hunc honorem recusavit, infirmum se esse cauſatus. Mortem obiit 11. Januarii 1707. Editæ ejus Opera sunt. *Systema Physiophilosophicum*, ad mentem Renati, continens *Logicam*, *Metaphysicam*, *Physicam*, & *Moralē*. *Responsum ad Censuram Philosophiæ Cartesianæ D. Huetii*. *Responsum ad Reflexiones Criticas D. du Hamel in Systema Cartesianum Philosophiæ Regis*. *Objectiones in P. Malebranche in materia de Visione, & de Ideis*. *De usu Rationis, & Fidei*. Vide Elogium P. S. Regis in *Hist. Acad. Scient. 1707*.

P. NICOLAUS MALEBRANCHE, Philosophus, Mathematicus, & Theologus insignis, narrans admirandus, ut pleraque opera ab eo in lucem edita ostendunt, doctrina multa, eruditione, & elegantia referta, ex Nicolao, Christianissimo Regi à Secretis, & Catharina de Lauson ortus est Parisiis 6. Augusti 1638. Literarum omnium studiis, ac pietate eximium PP. Oratorii Cœnobium ingressus est 28. Jan. 1660. æt. suæ 22. Seriò, atque unice Veritati in rebus omnibus inquirendæ intentus, ann. 1673. primum Volumen sui Operis *De Inquirenda Veritate* edidit; quod Opus ad quatuor usque Volumina adauxit in ultima editione; Quod magnam sibi famam comparavit. Ejus etiam est *Liber de Natura, & Gratia*; in quo Theologorum hac

hac de re controversias se conciliaturum pollicetur. *Tractatus de Morali*, & *Meditationibus Christianis*. *Tractatus de Amore Dei*. Rogatus, ut efficacius quid scriberet pro Sinarum in veram Fidem conversione, *Dialogum Christiani*, & *Sinenis Philosophi confecit*. Arnoldi, & Regis, Lamy, aliorumque Objectionibus & per editos Tractatus, & per Epistolas responder: quæ omnia, aliaque laudabilia ejus Opera apud ipsum videre est. In Reformatione Academiæ Scientiarum in Sociorum numerum adscriptus est. Nuper obiit valde senex.

JACOBUS BERNOULLI, Nicolai filius, natus Basileæ 27. Decembris 1654. Poëta Germanus, Gallus, & Latinus, in Mathematicis disciplinis omnibus peritissimus, quas furtim, & ex se (hæc enim studia pater ei interdixerat; unde ipse de se Phaëtonis illud dicere solebat: *Invito patre sidera verso*) omnium optime didicit. In sua literaria Europæ peregrinatione in Galliam veniens, P. Malebranche, & Cartesii libros legit tanta animi voluptate, ut ex eorum lectione optimus statim Cartesianus evaserit, totusque in Novæ tum Philosophiæ Meditationibus ad annos plures incumbuerit. Eo tempore Cometa apparuit, cuius ipse redditum prædictum, *Tractatumque de eo* composuit; atque alterum *de Aëris Gravitate*: quos Tractatus memorant Act. Erudit. Lips. & Parif. In patriam reversus Collegium in ea instituit pro experimentis Physico-Mechanicis: ubi & Matheseos Cathedram omnium Magistratum suffragiis est consecutus; quam summa laude, ac magno exterorum etiam concursu ad annos plures exercuit. Eruditum tunc *Tractatum de Arithmetica Infinitorum* composuit; atque alia plura cum Joh. Bernoulli fratre, ac sui in hac Cathedra successore, nova invenit, præclaraque in Mathesi detexit. Una cum fratre suo Joh. Regiæ Academiæ Scientiarum Socius creatus est an. 1699. & Academiæ Berolini 1701. Fatis cessit an. 1705. 16. Augusti, æt. 51. non expleto.

JOH. CHRISTOPHORUS STURMIUS, natione Germanus, insignis Mathematicus, postquam Ecclesiæ cuidam in Germania annis 5. præfuit, apud Altorfinos Philosophiam, & Mathesin professus est annis 34. ibique mortuus est 26. Decembris 1703. ætatis 68. ut ait Morery Sup. Lex. Histor. sive 1700. ut vult laudatus Jons. de Script. Hist. Phil. lib. 3. cap. 36. 25. ubi ipsum inter Cartesianos recenset, inquiens: *Ibi etiam excellentissimus ille Mathematicus Joh. Christophorus Sturmius, denatus an. 1700. brevi Dissertatione de Cartesianis, & Cartesianismo placita Philosophiæ Cartesi explicavit, atque defendit. Idem de Philosophia Sedaria, & Electiva peculiari Dissertatione egit.* Inter Mathematica ejus Opera præcipua sunt: *Mathesis Enucleata*, & *Mathesis Juvenilis*. Vide Act. Erud. Lips. an. 1704. p. 236.

Prætereo doctissimum LUDOVICUM DE LA FORGE, qui insignem *Tractatum de Mente Humana* evulgavit: D. DE CORDEMOY, cuius duo existant Tractatus, alter *De Corporis, & Mentis distinctione*; alter *De Loquela*; aliosque: ex Medicis Jacobum Waldschmidum, Fridericum Hoffmannum, atque alios plurimos, quos longum esset enumerare.

C A P U T X I V.

De Academiis Universi Orbis.

Non me præterit, eruditissimum *Kiddendorp* integrum Tractatum insigne labore confectum, hac de re edidisse; quem h̄ic exscribere animus non est. Verdm cùm in 2. & 3. hujus Hist. libro de Barbarorum, ac Græcorum Academiis, sive Studiorum locis, verba fecerim; instituti mei ratio, & ordo id postulabat, ut brevem saltem notitiam, vel Indicem de Academiis reliquis darem. Academiarum itaque Indicem, atque tempus, quo erectæ sunt, talem exhibeo ex Michaële-Antonio Baudrand Parisino, cui aliqua pro opportunitate addere liceat.

I N A N G L I A.

Cantabrigensis, Cambridg an. 1280. ab Eduardo I. Rege.

Oxoniensis, Oxford 896. ab Alphonso, ut scribunt.

I N B E L G I O.

Groningana, Groeninghen 23. Augusti 1614.

Franekerana, Franeker 29. Jul. 1585.

Hardervicensis, Hardervick 1648.

Lovaniensis, Lovvain 1426. à Joh. Brabantiae Duce sub Martino V.

Papa.

Lugdunensis Batavorum, Leyden 1575. ab Hollandiæ Ordinibus.

Namurcensis, Namur.

Utrechtina, Utrecht 1636.

I N B O H E M I A.

Pragensis, Prag 1358. à Carolo IV. Imperatore.

I N D A N I A.

Hapnienensis, Koppenhagen 1497.

I N G A L L I A.

Andegavensis, Angers 1346. & 1685. Regiæ Academiæ nomine à Rege insignita.

Aquensis, Aix 1409. ab Alexandro V. Papa, & ab Henrico IV. Rege restaurata 1603.

Arausina, Oranges 27. Maii 1365.

Arelatenensis, Arles recens est.

Avenionensis, Avignon 1303. à Bonifacio VIII. Papa.

Aurelianensis, Orleans 1305. à Clemente V.

Bituricensis, Bourges 1465. à Ludovico XI. Rege.

Burdegalensis, Bordeaux 1473. ab eodem Rege.

- Cadomensis*, Caen 1452. à Carolo VII.
Cadurcensis, Caors 1332. à Johanne XXII. Papa.
Dolana, Dole 1426. à Philippo Duce Burgundiæ.
Duacensis, Dovay 1562. à Philippo II. Rege Hispaniæ.
Flexiensis, La Fleche, ab Henrico IV. Rege.
Monpessulana, Montpellier 1289. à Nicolao IV. Papa.
Montalbanensis, Montauban, recens.
Mussipontana, Pont-à-Mousson, 1573. à Carolo Cardinale à Lotharingia.
Nannetensis, Nantes, 1460.
Parisensis, Paris, amplissima 790. à Carolo Magno Francorum Rege, & Imperatore.
Perpinianensis, Perpignan, 1349. à Petro Rege Aragoniæ.
Pictavensis, Poictiers, 1431. à Carolo VII. Rege.
Remensis, Reims, à Carolo Cardinale à Lotharingia 1548. sub Henrico II. Rege.
Richeleensis, Richelieu, 1640. à Ludovico XIII. Rege.
Sueffonenensis, Soissons, recens.
Tolofana, Tolose, 1233. à Gregorio IX. Papa.
Turnnonensis, Tournon, à Francisco Cardinale Turnonio.
Valentina, Valence, 1452. à Ludovico Delphino, postea Rege XI.
Vesuntina, Besancon, 1564. à Ferdinando I. Imperatore.

I N G E R M A N I A.

- Altorfensis*, Altorf, 1622. à Ferdinando I. Imperatore.
Argentoratensis, Strasbourg, 1538.
Cbiloniensis, Kiel, 1669. ab Alberto Holsatiæ Duce.
Coloniensis, Colon, 1388. ab Urbano VI. Papa.
Dillingensis, Dillinghen, 1549. ab Othone Cardinali Truchsesio.
Erfordiensis, Erfurt, 1391.
Francofurtensis ad Oderam, Frankfurt am Oder, 1506. à Joachimo Electore Brandenburgico.
Friburgensis in Brisigavia, Freiburg, 1463. ab Alberto Duce Austriæ.
Giffena, Giessen, nova, 1607. à Ludovico Landgratio Hassiæ.
Græcienensis, Gratz, nova.
Gripsuvaldensis, Griphsuvaldt, 1547. à Philippo Duce Pomeraniæ.
Heidelbergensis, Heidelberg, 1346. à Ruperto II. Electore Palatino.
Helmeſtadiensis, Helmſtat, quæ & *Juliana*, 1576. à Julio Duce Brunſavicensi.
Jenensis, Jena, 1558. à Joh. Federico Electore Saxoniæ.
Ingolſtadiensis, Ingolſtat, 1472. à Ludovico Duce Bavariæ.
Lavingensis, Lavingen, à Wolfgango Comite Palatino sub Ferdinando I. Imperatore.
Leodienſis, Liege, ante annum 1129.
Lipſtienſis, Leipzich, sive potius Leipsik, 1408. à Friderico I. Electore.
Marpurgensis, Marpburgh, 1526. à Philippo Landgratio.
Moguntina, Maintz, 1482. sub Diethero Iſemburgico Archiepiscopo.
Paderbonensis, Paderborn, 1592. sub Theodoro Furſtembergio Episcopo.
Roſtochienſis, Roſtock, 1490.
Sigenensis, Sigen, antea *Herborna*, 1689. à Joh. Comite Nassavio.
Trevirensis, Trier, 1558.

Tubingensis, Tubingen 1477. ab Eberhardo Comite Vittembergico.

Viennensis, Vienne, 1365. ab Alberto III. Archiduce Austriæ.

Vittembergensis, Wittemberg, 1502. à Friderico III. Electore Saxonie.

I N H E L V E T I A.

Basileensis, Basle, sive Bâle, 1459.

Genevensis, Geneve, 1365. à Carolo VI. Imperatore.

I N H I B E R N I A.

Dublinensis, Dublin, 1320. & 1392. restaurata ab Elizabetha Regina.

I N H I S P A N I A.

Abulensis, Avila.

Batiensis, Baeca, 1538.

Cæsar-Augustana, Zaragoça, à Carolo V. Imperatore.

Complutensis, Alcala, 1517. à Francisco Cardinale Ximenio.

Compostellana, Compostella.

Granatenensis, Granada, 1537. à Carolo V. Imperatore.

Hispalensis, Sevilla, antiqua.

Ilerdensis, Lerida, ante Calistum III. Papam.

Ognatensis, Oñate, parva admodum, 1543.

Oscensis, Huesca, antiqua.

Ovetana, Oviedo, 1536. à Ferdinando Valdes.

Palentina, Palencia, Academia parva quidem, sed olim ante Salma-ticensem clara.

Pampelonensis, Pompelon, sive Pamplona, 1608.

Salmaticensis, Salamanca, 1200. ab Alphonso IX. Rege Legionensi.

Seguntina, Siguenza à Francisco Cardinali Ximenio sub Ferdinando V.

Rege.

Tarraconensis, Tarragona sub Philippo II. Rege.

Toletana, Toledo, antiqua.

Valentina, Valentia, 1470.

Vallisoletana, Valladolid, 1346. à Clemente VI. sub Alphonso XI.

Rege.

Ursonenensis, Ossuna, 1549.

I N I T A L I A.

Bononiensis, Bologna, antiqua.

Calaritana, Cagliari.

Catanensis, Catania.

Ferrariensis, Ferrara, 1316. à Friderico Imperatore.

Florentina, Firenze, à Cosmo Medico.

Maceratensis, Macerata, à Paulo III. Papa.

Mantuana, Mantova, novissima.

Mediolanensis, Milano.

Messanensis, Messina, à Carolo V. Imperatore.

Neapolitana, Napoli à Friderico II. Imperatore, qui mortuus est an. 1250.

In hac **Regia Studiorum Universitate**, omni ævo florentissima, cunctisque Orbis partibus celeberrima, liberalium omnium artium Cathedræ plures sunt, eæque pro singulis scientiis plures, quarum aliæ Primariæ, aliæ Secundariæ dictæ, quas nonnisi post longam docendi artem, publica, ac periculosa replicata tentamina, hîc vulgo Concursus, quis consequi potest. Suffragia in nova cujusque Cathedræ collatione post exacta concurrentium experimenta expetuntur à Magistratum Primoribus, ac Primariis singularum scientiarum Professoribus, quæ Suffragia ad 30. circiter ascendunt. Regijs congiariis in annum douantur magnificis quilibet Professores, qui magno indigenarum totius Regni, atque exterorum etiam concursu docent. Plurimi in insigni nostra hac Academia, ex quo erecta est, inclauerunt literis illustres. Viri, viventes autem illustriores.

Papiensis, seu **Ticinensis**, Pavia, antiqua; de qua videatur Gatti in peculiari suo Tractatu de Gymnasio Ticinensi.

Patavina, Padova, 1222. à Friderico II. Imperatore.

Perusia, Perugia, à Clemente V. Papa.

Pisana, Pisa, 1339.

Romana, Roma, antiquissima.

Salernitana, Salerno, à Friderico II. Imperatore.

Senensis, Siena, 1387.

Taurinensis, Torino, 1405.

I N P O L O N I A.

Cracoviensis, Cracovv, 1364.

Elbingensis, Elbingh, 1542. ab Alberto Prussiæ Duce.

Regiomontana, Konigsberg, 1544. ab eodem erecta.

Vilnensis. Vilna 1579.

I N P O R T U G A L L I A.

Conimbricensis, Coimbra, à J oh. III. Rege Lusitanæ, qui regnare coepit an. 1521. Extitere in ea præclari semper liberalium artium Professores, quantum unum, vel alterum adnotasse sufficiat; **Gabrielem scil. Acosta**, & **Sebastia-num Barradas**, qui in Conimbricensi, & Eborense insignis primum Professor fuit, deinde verò Orator Evangelicus celeberrimus, Lusitanæ Apostolus appellatus. In hujus autem inclytæ Academiæ erectione primas contulit **Jacobus Tevius**, Lusitanus Orator, Historicus, & Poëta. Inter eximias hujus doctissimi, ac Religiosissimi Regis dotes, ea potissimum fuit, ut nedum scientias omnes, sed etiam Christianam Religionem longe lateque diffunderet: quare an. 1540. Paulum III. Pontificem per epistolam rogavit, ut novis Indorum gentibus Evangelii Ministros Jesuitas mitteret, qui eos in Christi Fidem adducerent. Hinc S. Franciscus Xaverius cum socio ad eximium hoc Religionis opus explendum missus est. Eo igitur tempore, quo Europæ Principes magno belli furore tenebantur; prudens, ac pius hic Rex, nihil aut Regiæ domus, aut Regni incrementum curans, totus in eo erat, ut Christi Fides ad recens cognitas barbaras gentes propagaretur. Apoplecticus obiit an. 1557. In hac Academia celeberrimus etiam fuit **Franciscus Soarez**, vel **Suarez**, Hispanus, Doctor tamen Eborensis, & à Philippo II. Universitatis Conimbricensis Theologiæ Primarius Professor factus.

Eborensis, Evora, ab Henrico prius ejus loci Archiepiscopo, & Cardinali

nali, postea Rege, instituta. In ea celebres semper fuere Professores: inter quos numerari possunt *Job. Baptista Fragosus*, qui Ulyssipone, & Ebore docuit; modò dictus *Sebastianus Berradas*, qui in Eborense etiam Professor fuit; *Emmanuel Alvarez*, Jesuita, natus in Insula Maderæ, qui sec. 16. floruit, &c. Nec silentio prætereundus *Andreas Resendius*, Canonicus Eborense, ac Sennissimorum Principum, Alphonsi, & Henrici, Joh. III. fratum, præceptor, ac plurium eruditorum Operum editione celeberrimus, qui seculo 16. vixit.

Ulyssiponensis, Lisbona 1290. à Nicolao IV. Papa. Nihil hic de præclaris hac totius Orbis Academia dicam: ejus enim vel doctissimos Professores, vel ex ea prodeuntes eruditos Doctores enumerare si vellem, nimius forem. E celebriorum Lusitanæ Doctorum numero sunt *Petrus Nonnus*, Lusitanus Mathematicus celeberrimus, qui sec. 14. floruit: *Hieronymus Oleaster*, Dominicanus Lusitanus, vir doctissimus, qui sec. 16. vixit, & in Concilio Tridentino Orator pro Joh. III. fuit: *Hieronymus Osorius*, Episcopus Silves, Cicero Lusitanus appellatus: *Jacobus Bativa*, Theologus insignis, & in Concilio Tridentino clarus, ibi Orthodoxæ Fidei contra hæreticos interpres: *Arias*, *Emmanuel*, & *Augustinus Barbosa*, Lusitani Legisperitissimi, & eruditi, qui sec. 15. & 16. claruere: *Thomas Correa*, Conimbricensis eruditus sec. 16. *Rodriquez Cunha*, Archiepiscopus Bracharense, deinde *Ulyssiponensis*, sec. 16. & 17. *Damianus de Goëz*, Lusitanus sec. 16. Joh. Soarez, Episcopus Conimbricensis, & *Comes Argavil*, qui ex Ordine Eremitarum S. Augustini fuit, Concilio Tridentino interfuit, & Commentaria in Evangelistas scripsit: *Achilles Statio*, nobilis Lusitanus, vir eximiae eruditionis, de quo præter alias *Justus Lipsius* Var. Lect. lib. I. c. 12. Reliquos quis numeret?

IN SCOTIA.

Aberdonensis, Aberdeen, 1240. ab Alexandro Rege.

Andreapolitana, Saint Andrevv, 1431. ab Henrico de Wardlavv ejus Archiepiscopo.

Edimburgensis, Edimbourg.

Glascuensis, Glascovv, ab Episcopo Jurubulo.

IN SVECIA REGNO.

Aboensis, Abo in Finia, 1260. à Christina Regina.

Derpatensis, Derpt in Livonia 1632. à Gustavo Adolpho Rege.

Lundensis, quæ & *Carolina*, Lund, à Carolo IX. Rege.

Upsalensis, Upsal, antiqua.

IN TRANSSSYLVANIA.

AlbaeJuliae, Weissemburg, à Ragovio Principe.

IN ASIA.

Goana, Goa in Peninsula Indiæ intra Gangem, à Rege Lusitanæ.

IN AMERICA, SIVE NOVO ORBE.

Guatimalensis, Guatimala in nova Hispania, à Philippo IV. Rege Hispaniæ 1628.

Lima.

Limana, Lima in Peruvia, 1614. à Philippo III. Rege Hispaniæ.

Mexicana, Mexico in nova Hispania, 1551. à Carolo V. Imperatore.

Quitoa, Quito in Peruvia, 1586. à Philippo II. Rege Hispaniæ.

Sancti Dominici, San Domingo, 22. Febr. 1558. ab eodem Rege.

Atque hæc de nostri ævi præcipuis Academiis, sive Studiorum Universitatibus, dixisse sufficiat; iis prætermissis, quæ vel recentiores, vel minoris famæ sunt. Plura qui cupit, adeat cit. Kidendorp, qui de hac materia prolixius agit.

Regia Societas Anglica Londinensis; *Academia Gallica Lutetiæ Parisiorum Regio edicto an. 1635. statuta*; & *Regia Academia Scientiarum*, an. 1666. à Domino Colbert Parisiis erēcta, & insigni Observatorio Regio ornata, hic non memorantur. Nam præterquamquod de ipsis non pauca verba, sed magna volumina confidere opus esset; de Prima jam Historiam contexit doctissimus Spart; de Secunda M. Pelisson; de Tertia edita peculiaris est *Histoire de l'Academie Royale des Sciences*. Id tamen unum mecum omnes fateantur necesse est, omnes harum Academiarum Socios summa industria, & doctrina ad Scientiarum, Physices potissimum, & Mathefeos augmentum, & perfectionem contendere: quod ex editis ferme innumeris eorum Operibus nemo est, qui ignoret.

Tandem ne quis miretur, nos de Italiae Academiis, quæ tot numerari possent, quot Urbes, ne verbum quidem fecisse, id sibi sciendum, has non proprie Academias, sive Studiorum Universitates dicendas, sed potius Literatorum Societates, ambitionis, vel phantasticis nominibus insignitas: tales autem Academias nostri instituti non est enumerare, quales Senis sunt *Intronati*; Florentiæ *Della Crusca*; Romæ *Humoristi*, *Lincei*, *Fantastici*; Neapoli *Ardenti*, &c. Accedit, quod hacten plerique jam intercidérunt. Vide de iis J. B. Alberti *Delle Academie, &c.*

APPENDIX ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΩΝ.

Cum multos Philosophorum prætermiserim, vel quia memoria exciderunt, vel quia in mentem non venerunt; hos in calce hujus Historiæ reliquis Philosophis apponendos duxi sub Appendix *Παραλειπομένων*, sive *Prætermissorum* titulo, ut mea in inquirendis Philosophorum nominibus diligentia innotesceret. Id quidem non inficior, plurimos in hac Historia tum ex Veteribus, tum maxime ex Recentioribus Philosophis, plura etiam novæ Philosophiæ Systemata desiderari posse: verum de omnibus, qui extiterunt, & adhuc in tot Mundi partibus existant, Philosophis exactam notitiam habere, eorumque Philosophiæ Systema, Vitam, & Facta pertractare, ne dum difficillimam, sed ferme impossibilem rem esse existimavi. Prætermitti igitur, & propriis hujus Historiæ locis non appositi Philosophi, sunt ex Veteribus

LEO BYZANTIUS, Platonis discipulus, vixit an. ab U.C. 400. tempore Philippi Regis Macedonum. Leo ad ipsum Orator à concivibus missus, eum interrogavit, cur patriæ suæ Byzantii potiri decreverit? Cui Philippus: Quia ipsam diligo. Hinc Leo subdit: Sed amantes, ô Rex, non armorum strepitum, sed dulci musicorum instrumentorum sono amicitiam testantur. Vide Philostatum. Ideo Philippus territus; ne Leo sapientia, & consilio, oprato de Byzantio triumpho adversaretur, famam ad Byzantinos præcurrere fecit, Leonem à Philippo auro corruptum fuisse. Unde Leo concivium facile credentium furorem metuens, se voluntariæ morti dedit, ut testatur Suidas. Plutarchus

ait,

ait, ipsum hilarem, & mordendo jocosum fuisse, quod ex ejus quoque responsis arguitur. Gibbo enim ipsum deridenti, quod visus esset infirmi, respondit: Et tu responsum in dorso portas. Orator etiam Athenas missus, ut discissi populi unionem procuraret; primum sermonem in Senatu habens, novit, Senatores suam nimiam pinguedinem irridere; ipse autem imperterritus ait: Si meam uxorem, quae me obesior est, videritis, quanto magis, Senatores, vos in risum dissolveritis? Sed et si ambo tam pingues sumus, unus nobis, cum concordes vivimus, lectus satis est: contrà vero nos discordes nec tota Byzantii urbs capere satis erit. Quo ratiocinio Athenienses statim conjunxit. Historiam, & alia plura scripsit, quae periire. Philostr. in Vit. Sophist. lib. I. Plutarch. Athen. Suid. & Voss. de Hist. Græc. lib. I. c. 8.

DION, Dux, & Philosophus Syracusanus, Hippocrate, Principis Syracusanorum, filius, Platonis discipulus fuit, Plut. in Vit. tom. 3. p. 254. Brutum cum Dione comparans, ait: *Quorum hic consuetudinem cum Platone habuit; alter preceptis imbutus fuit Platonis. Itaque quasi ex una ambo palestra sunt ad maxima certamina progressi.* Et post pauca: *Quid si Dion, Brutusque constantes viri, & Philosophi neque ad ullum precipites, aut proclives animi motum, &c.* Hic sororem suam Aristomachen Dionysio seniori, Syracusarum Tyranno, matrimonio junxit; cui primum sororis causa, deinde propria prudentia, & virtute carus fuit. Plut. ibidem Dionis ingenium, & mores, & ut Platonis discipulus ex ejus in Siciliam adventu factus sit, describens ait: *Fuit ante quoque excuso ingenio, ingentique animo, & fortis. Ceterum animus hic magis adolevit, cum divina sorte appulisset in Siciliam Plato, nullo ille quidem consilio humano; sed haud dubie Deus aliquis aditum procul libertatis Syracusanis instituens, & tyrannidis moliens eversionem, detulit Platonem Syracusas, Dionemque ad colloquium ejus attraxit admodum, tunc quidem juvenem, verum discipulorum Platonis omnium indolis longe solertissime, acerrimumque ad arripiendam virtutem, ut ipse scripsit Plato, & facta testantur. - - - - Ut autem primum doctrinam gustavit, & Philosophiam ad virtutem ducem, illico est ad eam animo incensus, atque, &c. Exinde Dion Platonis carissimus semper fuit; & cum à Dionysio nautis exponendus in Italia daretur; Id elaboravit Plato efficere, Dionemque ad Philosophiam flexit, detinuitque in Academia. Habitavit hic in Urbe apud Callipum. Oblectamenti causa prædium comparavit, quod post donavit, in Siciliam navigans, Speusippo, cuius preter ceteros amicos Athenienses utebatur consuetudine, & contubernio; quod vellet Plato colloquio festivo, & scitis facetiis tempestive condito, mores Dionis tinctos diffundere. Id præstare poterat Speusippus; qua propter facetum eum in salibus appellavit Timon. Dionis virtutes, & Græcorum omnium in eum honores, vide apud Plut. ibidem: ubi etiam refert, Platonem Dionysi jussu Æginæ venditum, quod ipsum tyrannidis redargueret. Sed postea servitute Dionis ope liberatus, honorifice à Dionysio secundo, & tertio ad ipsum veniens exceptus est. Nam Regius currus, & splendide cultus præsto fuit è navi egredienti. Tyrannus autem tanquam magno bono Regnum suum esset audum, sacrificavit, &c. Tandem Dionis illustria facta; in Dionysium prælia; & ut ipsum Syracusis expulerit; ejus cædem ex amici sui Callipi proditione, & filiorum calamitosam perditionem, lege apud cit. Plut. in Dion; Diod. Sicul. lib. 16. & Corn. Nep. in Vitis c. 10.*

ARISTOXENUS, Tarentinus, Aristotelis discipulus, in Magistrum ini quis se gerens, quod Theophrastum, non ipsum in Schola successorem fecisset, eum in suis scriptis perpetuo conviciatus est. *De Philosophia, Musica, & Historia* scripsit volumina ad 453. ex Snida. Meursius edidit sua Elementa

Harmonica cum Notis. Gell. lib. 4. 11. Jambl. in Vit. Pythag. Val. Max. Div. Hieron. Plut. Laërt. Cic. Lactant. &c. Vixit Olymp. 112.

ARISTOBULUS, Peripateticus, genere Judæus, diversa composuit, præcipue *Commentaria in Libros Mosis*, quæ Ptolemæo Philopatori, Ægyptiorum Regi dicavit. Clem. Alex. 1. Strom. Euseb. Præp. Evang. 9. & Hist. Eccles. 7. 26. D. Hieron. Voss. &c.

ADRASTUS, Aristotelis discipulus, Philippopolis natus, scripsit *De Harmonia lib. 3.* qui adhuc extant in Bibl. Vatic. Theon Smyrnæus Musices c. 6. & Porphyrius. Stanlejus in Hist. Phil. p. 48. refert, Adraustum Aphrodisiæum scripsisse *Commentarium in Categ. Arist.* item *de Physicis ejus, & de Methodo*, quæ ille in Philosophia usus sit.

ZOSIMUS Alexandrinus Philosophus, & Rhetor Platonii maxime addictus cujus scripta in lucem dedit; vixitque annos post Platonem circiter 50. & ante Christum circiter 300. Scripsit etiam plura *Opera Physica* libris 21. comprehensa, quæ Theodosiæ sororis suæ nomine evulgavit, quæ doctissima fuit. Conrad. Gesnerus.

OCELLUS LUCANUS, Pythagoræ discipulus, scripsit librum *De Universi Natura*: quem librum Latine vertit Ludovicus Nogarola Comes Veronensis, & Adnotationibus illustravit. Memorandi hīc etiam essent **DAMON**, Pythagoræ discipulus. **DEMETRIUS PHALEREUS**, Peripateticus, qui tempore Alexandri Magni floruit. **DICÆARCHUS** Messenius, Aristotelis discipulus, qui Olymp. 115. vixit. **DIAGORAS**, Democriti discipulus, Olymp. 74. qui *Arbeus* etiam dictus est. **DICENEUS**, Philosophus Ægyptius, sec. 1. tempore scil. Augusti. **MANDANES**, Philosopus Indus, sapientia celebris, qui *Alexandrum Magnum*, ad se nuncios mittentem, irridebat, quod se Jovis filium diceret. Et **APOLLONIUS** Nissenus, Philosophus Stoicus, Panætii discipulus. Scripsit hic quædam, quorum meminere veteres Scriptores. Vide Strab. Geogr. lib. 14. Joh. Meurs. Syntagm. de Apoll. Voss. de Hist. Græc. &c.

CRATIPPUS Mitylensis Philosophus, qui Ciceronis filium in Philosophia instituit, ut ex initio de Offic. apud ipsum Ciceronem constat, Athenis docuit, floruitque an. ab U. C. 706. & ante Ær. Chr. 46. Hic Pompejum à Cæsare in Pharsalico bello superatum solatus est, ut ex Plut. in Pompejo, ubi: *Tum ad Cratippum Philosophum conversus (ille enim ex urbe ad eum visendum descendebat) conuestus est, & cum eo disputavit nonnihil de Providentia . Assensus Cratippus est, traduxitque eum ad spem meliorem, ne acerbus, aut importunus esset repugnando, &c.* Incerti autem temporis Philosophi sunt:

HERMIPPUS Smyrnæus Philosophus Peripateticus, ex Josepho contra Ap. scripsit *Historiam Virorum Illustrium*, a Laërtio, aliisque sæpius citatam, atque alia à veteribus commendata. Licet incerti temporis, antiquissimus tamen fuit. **SATYRUS**, secta item Peripateticus, qui *Vitas Illustrium Virorum* etiam scripsit: quod Opus Athen. & D. Hieron. atque alii sæpe citant. Dubium, an idem sit cum *Satyro Comædo* Olynthi orto, qui *Historicos Tractatus* compo-
suit. Vide Voss. de Hist. Gr. lib. 4. **ARISTOCLES**, etiam Peripateticus, ex urbe Messenæ in Italia, teste Suida, qui plura composuit, potissimum *de Philosophia libros 10.* in quibus de Philosophis, & Philosophorum opinionibus agit: item *Uter diligentior Homerus, an Plato*: Scripsit eriam *de Arte Rhetorica*; & *de Serapide Morales libros 9.* Vide Suidam in Aristotele; Theodoretum; Stobæum; Vossium, atque alios. Fuit & alter ejusdem nominis Philosophus Lampsacenus, secta Stoicus, qui scripsit *Expositionem Operum Chrysippi*; *Quomodo scil. singula nominamus, & intelligimus, lib. 4.* Ex Suida ibidem. **CEBES** denique Thebanus Philosophus, Socratis discipulus, scripsit *Dialogos tres,*

tres, quibus titulus *Hebdomas*, *Phrynicus*, & *Pinax*, sive *Tabula*, in qua
Ortus, Vita, & Mors hominum continentur. Quæ Tabula usque modò imper-
fecta credita evulgata est jam perfecta ex Manuscripto Bibliothecæ Regis Gal-
liæ an. 1689.

Ex Recentioribus autem prætermissis unus esset M. PEYSSONEL, insignis
Philosophus Massiliensis, qui deposito Cartesiano Syltemate, cui primùm se
addixerat, novam philosophandi Methodum se invenisse ait per solas Mechanici-
æ leges, quibus universa Mundi Phænomena se explicaturum pollicetur. His
reliquas Philosophiæ partes negligens, soli Physicæ animum omnem intendit,
& industriam. Hinc novam suam *Physicam Mechanicam* evulgavit; in qua om-
nem Mundi Machinam, Horologii, similisve automati instar à Deo creatam
sibi fingens, in illa omnem motum, non secus ac in isto, fieri à primo aliquo
Motore, sive cauſa, afferit; sicque Mundi Phænomena per motum similem
illi, qui in Horologio fit, explicanda sibi proponit. Quod est *Primum Principium*. Mundi igitur Machinam considerat ut *Extensionem*, sive *Materiam Ex-
tensam*, multis partibus compositam, quæ *Corpora* vocantur. Hanc autem
Extensionem loco *Materie Prime* esse posse afferit; cujus Extensionis quinque
sunt considerandi *Modi*, quibus scil. fit, ut sic, vel sic extensa sit, *Consistentia*,
nempe, *Magnitudo*, *Figura*, *Situs*, & *Motus*, vel *Quies ejus*. Qui *Modi* ap-
pellari etiam possunt *Formæ Corporis*. Hinc Corpus non consideratur ut sim-
plex *Materia*, sive *Extensio*, sed ut *Extensio determinata* per hos suos quinque
Modos. Hanc autem cognitionem, quam habemus de *Materia*, & *Forma Cor-
porum*, *Secundum Principium Physices Mechanicæ* vocat. Itaque in univer-
sa Mundi Machina, ut & in Horologio, ad ejus motum, & phænomena om-
nia explicanda, Materiam tantum, & suos quinque Modos considerandos affir-
mat; quæ sua sunt philosophandi *Principia*: eaque non *Philosophorum*, sed
Machinistarum more accipienda; hoc est non ad eorum definitionem, divisio-
nem, & *Physicam cognitionem* attendendo; sed ea usurpando per evidentem,
& internam cognitionem, quam de ipsis habemus, ut Machinistæ faciunt.
Quapropter ultrò se neque *Logicum*, neque *Metaphysicum* esse fatetur. *Tertium
Principium* suæ *Physices Mechanicæ* est *Cognitio*, quam habemus, Mundi
Machinam ex septem generum *Corporibus* componi, quæ sunt *Aër*, sive *Cœ-
lum*, *Aqua*, sive *Mare*, *Terra*, *Astra*, *Plantæ*, *Animalia*, & *Ignis* per uni-
versum dispersus. Reliqua verò *Corpora*, quæ præter hæc in Mundo observan-
tur, ut *Meteora*, *Mineralia*, *Gummi arborum*, & *Excrementa animalium*,
non à Deo in ipsa Mundi origine creata, sed à Natura producta afferit; hoc
est, non esse nisi mutationes productas in *Corporibus à Deo creatis*. *Quartum
Principium* est dividere hæc septem *Corporum genera* in *Simplicia*, & *Com-
posita*. *Simplicia* appellantur *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, & *Terra*: *Composita* vero
Astra, *Plantæ*, & *Animalia*, quæ ex quatuor *Simplicibus* componuntur. *Sim-
plicia* ea vocat, quia non nisi in partes homogeneas, hoc est, ejusdem generis, &
sibi similes, résolvuntur; contrà verò *Composita*. Hæc autem *Simplicia Cor-
pora* vocat etiam *Elementa*, atque à Deo primum creata, ait, ex quibus om-
nia mixta inde sunt conflata. Singulis Elementis suos tribuit *Modos Essentialis*;
Igni scil. *Activitatem*, Aëri *Fluiditatem*, Aquæ *Liquiditatem*, Terræ deni-
que *Firmitatem*: reliqui verò *Modi* *Accidentales* ab eo appellantur. *Quintum
Principium*. Considerata structura Machinæ Mundi, Motus partium ejus consi-
derandus, per quem omnes Modorum Substantiæ mutationes accidentunt. *Sextum
Principium*: Omnia Naturæ Phænomena sunt mutationes, quæ corporibus ac-
cidunt per Motum. *Septimum Principium*: Sicut in omni machina *Primus Mo-
tor dari debet*, corpus scil. quod se ipsum per proprium motum movens, reliqua

corpora ad sui motum movet , qualis in Horologio est subtilissima chalybis lamina in spiram contorta ; ita in Mundi Machina *Ignis Primus Motor* est , sive consideretur manifestus , & agens in qualitate luminis , & caloris , sive occultus in spiritibus contentus , & vi , vel influentia agens . *Octavum Principium* est cognitio potentiae , quam Ignis habet penetrandi omnia corpora ; & variæ corporum resistentiae , sive consistentiae . Hæc autem vis agendi in Igne , & resistendi in corporibus , vera *Lex* , & *Regula Motus* est . *Nonum Principium* . Ut Machinæ partes moveantur , necesse est , ut *Primus Motor* reliquis partibus alligetur , & hæc ut invicem connectantur . Hinc educit , nullum dari posse Vacuum ; sed cunctas Mundi Machinæ partes se mutuo tangi oportere , ut Motus fiat . *Decimum Principium* . Sicut hæc spiralis lamina chalybis nisi per vim constricta , & compressa , caussa motus esse nequit ; ita Ignis non nisi in vesiculis quibusdam violenter contentus , & in mistorum partibus inclusus , naturæ motuum , sive naturalium phænomenon caussa erit . *Undecimum Principium* . Uti hæc spiralis lamina chalybis et si plicata , & constricta , nullum motum in Horario ederet , nisi paullatim se extenderet , & explicaret ; ita hic Ignis si semper in vesiculis constrictus , & compressus maneret , motus in Mundi corporibus producere nequirit : quare necesse est , ut è vesiculis prodeat , & in misti partes agat : in vesiculis enim contentus , circulari motu secundum suas partes in ipsis movetur , easque urget ad exitum . Egreditur autem Ignis è mistis , & in alia corpora irruit vel instar granorum , sive seminum spirituosorum , vel instar simplicium vesicularum , sive spirituum , vel instar nudarum particularum Ignis . *Duodecimum Principium* . Pro varia Ignis è mistorum corporibus egredientis , & in alia corpora irruentis , vi , & pro varia horum corporum resistentia , mole , figura , situ , motu , vel quiete , variæ in Mundi Machina mutationes , & apparentiae fiunt . *Decimumtertium Principium* . Sicut in omni Machina vis primi moventis lentescit , nisi per vices , & intervalla constringatur , & comprimatur , & veluti nutriatur ad novam vim acquirendam ; ita in mistorum corporibus nutritio necessaria est , quam ex Igne in vesiculis intra eorum partes inclusa habent . *Decimumquartum Principium* . Non secus ac in Horologio , cæterisque Machinis Regula inventa est , per quam celerior , vel tardior motus primo moventi tribuitur ; in mistorum machinis scit Natura Ignis vim temperare . *Decimumquintum , & ultimum Principium Physices Mechanicæ* . In Mundi Machina , non secus ac in artificialibus , Phænomenorum Ordo Successionis , & Dependentiae considerandus , qui dici etiam solet Cursus Naturæ , sive Effectus motus ipsius Machinæ . Atque hæc est nova Philosophia à Peyssonel excogitata : cuius ideam hic tantum dedimus , excerptam ex ejus Epistolis ad M. Grenet , Philosophum Parisiensem , Cartesianum insignem , datis an. 1705. in quibus veras etiam Motus Leges , & Regulas ipsi Grenet se tradere dicit ; quas vide una cum Epistola , qua Grenet ei respondet , & suam ac doctissimi P. Lamy de hoc Systemate *πειρητικῶν* exhibet .

Inter Recentiores Philosophos recensendi etiam merito essent doctissimi MUYS , qui sua edidit Principia Philosophiae : HARTSOECKR : FRANCISCUS VALLESIUS : THOMAS ILLYRICUS : STEPHANUS PIGNATELLI : LEO ISAURIANUS : ANTONIUS STUDITA : DEIPNIZ : & noster denique THOMAS CORNELIUS , omnes in hac Historia prætermitti . Ipsam tamen claudat maxima , æternaque laude dignus , & qui nescio quomodo ex Philosophorum Indice mihi exciderit ,

P. EMMANUEL MAGNANUS , Ordinis Minimorum decus ingens , insignis sec. 17. Philosophus , Tolosæ natus ex nobili , veterique familia 17. Julii 1601. De Magnani , sive Maignapi Parentibus , & stirpis claritate ita P. Saguens etiam

etiam Minimus, Magnani discipulus, & Praeceptoris Philosophiae plures annos Professor, in Vita Magnani, Tolosæ edita 1697. Pater ei fuit Petrus Maignanus, Consiliarius Regius, Referendarius, & Decanus in Cancellaria Tolosana, vir æquitatem servans, & conspicuus splendidissimi generis, antiqua nobilitate indubitata. Siquidem, ut omnes novimus, Maignani Tolosates isti stirpem suam trahunt ex illis, quos Eluza, urbs nunc obscura, sed antiquitate celeberrima ad Gelisam amnem sita in Comitatu Arminiaco, Barones suos strenuos, opulentos, magnificos per non interruptarum generationum successiones reverenter, ac per amanter complexa est. Matrem habuit Gaudiosam de Alvarez, caram filiam celeberrimi illius Medici Emanuelis de Alvarez, quem Tolosa, urbs literarum omnium amantissima, precibus, ac pollicitationibus multis ex Lusitania advocavit perfuncturum munere Regii Professoris. Hic originem suam dacebat ex antiquissima familia Alvareziorum de Bubendya in Regno Lusitanæ, & fuit Parenis lusitricus Emanuelis nostri, qui ex illo nomen Emanuelis obtinuit. A primis pueritiae annis non vulgaria pietatis, & literarum amoris signa dedit; fuitque semper illecebratum, voluptatumque osor, in id totus intentus, ut literis, ac pietati solum vacaret. Quare exactis Grammaticæ, & Rheticæ studiis apud PP. Soc. Jesu, ut innocentiam tutius conservaret, Minimorum præclarum Ordinem, quorum conventus frequentabat, & consuetudine à pueritia delectabatur, ingressus, publica vota emisit an. æt. 18. Aristotelicæ Philosophiae, & Theologiæ cursum apud suos exegit: sed dipari exitu; nam in Theologia & Fidei, & Praeceptoribus acquievit; in Philosophia tamen non sic. Enim vero et si neque Cartesii, neque Gassendi Philosophiae addictus esset, tamen non secus, ac isti, contra Scholasticam Philosophiam fuit, & ejus Accidens, Qualitates, Formas Substantiales, & similia oppugnavit; totumque se Experimentali Physicæ dedit; Mathematicarum enim disciplinarum callentissimus erat, & quod maxime mirum, *αὐτοδίδακτος*, à se scil. doctus in re tam difficulti. Honorum tum apud suos, tum apud alios contemtor fuit; semel enim vel invitus Provincialis in Aquitaniæ Provincia creatus est an. 1650. & honores à Galliarum Rege sibi oblatos ann. 1660. modestissime recusavit. Quod tum accidit, cum Rex in itinere Tolosam divertisset, & in Magnani cellula innumeratas pene Machinas, & curiosa Mathematica inventa plura vidiisset; ut ex cit. Saguens in Vita p. 31. 32. ubi: Properabat Rex ad celebrandas nuptias suas. . . . Sed casu Tolosæ parumper constitit; nec inter res, quæ oculis Regiis dignæ censebantur, infima fuit cellula cœnobitica P. Maignani, quæ intra Religiose egestatis angustias, si quid Mathesis pulcrum coluit, includebat; tubos emnis generis, Telescopicos, Microscopicos, Polioptricos, Hygroscopicos, Thermometricos, ut non adjiciam Machinamenta Pneumatica, Hydraulicæ, Magnetica multa: sileamque de Planispheriis, Tabellis Opticis, fabrefactis tum ad figurati torni industrias, tum ad vires staticas attinentibus ingeniosissimis plurimis: speculisque ustortis, &c. Imo & dormiens non nisi Mathematica somniabat; & repente ex gaudio inventæ in somnio alicujus demonstrationis evigilans, illam scribebat, vel ut poterat exarabat. Insignis morum probitas, singularis omnigena doctrina, & pietas eximia, ipsum Philosophis, Literatis sui ævi omnibus, & Principibus carissimum reddiderunt. Tandem placidam mortem obiit Tolosæ 29. Octobris 1676. æt. 75.


Quod ad ejus Philosophiam, & Scripta attinet, Magnanus Elementaris Philosophiae, ejus scil. quæ per quatuor Elementa philosophatur, si non Inventor, saltem Restaurator dicendus est, modò inventionis gloria Empedocli tribuatur. Ut enim Gassendus Atomorum doctrinam emendando, ejus Restaurator, & novæ Sectæ Caput factus est; ita Magnanus, sepositis Scholarum

opinionibus, quibus in adolescentia imbutus fuerat, Empedoclis Elementarem doctrinam corrigendo, & experimentorum, Matheſeoſq; auxilio meliorem redendo, novæ *Magnanistarum ſeclæ Princeps* extitit, ex qua omnes Minimi PP. numerantur. Hanc Elementarem Philosophiam (nec non Theologiam) annos 14. Romæ, alibique ſuos docuit plauſu quidem magno; quam deinde edidit primum Tolosæ 1652. 4. vol. in 8. ſub tit. *Cursus Philosophiæ*, &c. atque item Lugduni in fol. 1673. priori magis auſtam; in hac enim editione *Traclatum Criticum de Vorticibus Cartefii* inſeruit; & *Dissertationem de Tuba loquente*, &c. ab Equite Morlando inventa. Hinc, ut Cartefio ſe opponeret, Machinam etiam confecit, qua Cartesianam Mundi fabricam falſam oſtenderet, & conatum recedendi à centro motus per tangentem circuli. Feliciori etiam modo, ex Bælii iudicio in Lex. Hist. Crit. Magnanus, quam Cartefius explicat, quomodo accidentia ſine ſubſtantia in admirabili Eucharistiæ Sacramento conſerventur; dicendo ſcil. quod Deus, panis, & vini ſubſtantia ſublata, eadē coloris, ſaporis, &c. ſensationes in noſtros ſenſus producere pergit. Contra hanc Magnani leſtentiam vide Rohaultium Entretiens ſur la Philosophie pag. 48. Magnani etiam eſt *Perspectiva Horaria*, Romæ imprefſa 1648. fol. impensis Cardinalis Spadæ, cui ipsam dicaverat; quod *Opus verè eximium*, & ad illa uſque tempora intentatum vocat cit. Saguens p. 17. & *Opus Theologico-Philofophicum*, cui tit. *Philofophia Entis Sacri*, cujus Tomus primus editus eſt an. 1662. alter 1672. etſi enim minori tempore opus fuifet ad ſecundi post primum editionem; quia tamen objectionibus ſibi factis reponde-re debuit, ſecundum edere poſthabuit. Primus, ac maximus ſuus Antagoniſta fuit P. Lalouvere Jesuita Collegii Tolosani, qui in ſuo *Cicloide* errores plures Magnano objecit circa ſtructuram, & gravitatem corporum, celerita-tem motus, æqualitatem angulorum incidentiæ, & reflexionis, &c. Cui Magnanus pluribus respondit argumencis, quibus hunc *Physices Geometricæ Aphorismum* ſubdit: *Plus proderit in rebus Physicis peritissimus Physicus mediocri-ter in Geometricis versatus, quam peritissimus Geometra parum Physicus.* Tum addit: *At fi utroque genere excellat, nibil prorsus optabilius eſſe potest.* Atque hæc Magnani reſponsio ſub *Appendicis* nomine evulgata: Cui *Secundam* addidit *Appendicem*, qua ſuum hunc Antagoniſtam replicantem conſutare ſtuduit; in eaque obſervationes habuit de Propagatione ſuccesſiva luminis; de Scintillatione Fixarum; deque Lacrymis in Hollandia factis. *Tertia Appen-dice* Magnanus reſpondet Dom. Ducalle Dissertationi factæ contra ſuam de-his Lacrymis explicationem. *Quarta Appendix*, edita an. 1667. reſpondet noſter Magnanus P. Courboulez ejusdem Societatis, & Collegii Tolosani, qui P. Lalouvere jam mortuo in literaria contentione ſucceſſerat defendenda. *Quinta denique Appendix* Apologia Autoris eſt contra P. Theophilum Raynaudum, qui ſcriperat contra Magnanum circa accidentia Sacramenti Eucha-ristiæ: nec non contra P. Vincentium Baronem, & P. Nicolaum Arnū, Ja-cobitas, ſuos etiam adverſarios. Inter Magnani Opera recenſenda etiam eſt ejus *Difſertatio Theologica de Uſu licito pecuniae*, edita an. 1673. in 12. quæ ta-men quorundam Epifcoporum cenzuram habuit.

Notandum hīc, Magnanum, poſt evulgata bina ſua *Opera Mathematica*; quorum alterum *Opticum*, five *Perspectiva*, cujus deſcriptio eſt in *Tbaumaturgo Optico Minimi Niceronis*; alterum verò *Catoptricum*, quod repræſentabat in-tegram Cœli faciem, ſuis omnibus ad rem Astronomicam ſpectantibus circulis interſinctam; Magnanum, inquam, & Kircherum inter, magnam fuiffe de inventionis gloria contentionem; unoquoque ipsorum hac in re ſuos fautores habente. Verūm *Eruditorum Romanorum* cobors ſuam nitrique palmam contu-lit;

*lit; protulitque paria esse in gignendis fortunatissimi ingeniis Viri Germaniae,
Galliæque Imperia. Saguens p. 16. & ex eo Bælius loc. cit.*

Denique notandum ex Baillet, & aliis, P. Magnanum non confundendum cum Job. Chrysostomo Magnenio, Ticinensi Medicinæ Professore, Luxorii in Burgundia orto, cuius est *Democritus Reviviscens*, editus 1648. *Tractatus de Manna*; & alter *de Tabaco*. Atque hæc de Magnano, omniq[ue] Philosophiæ, Philosophorumque Historia Synoptica, dicta sint satis.




Μέγιστας τον θεόν μηροπάτην
Μέγιστος δόξα Θεώ, δοσγ' Αλφα, καὶ Ωμεγά πάντων.

F I N I S.



IN.



I N D E X

LIBRORUM, ET CAPITUM.

L I B E R I.

De Ortu Philosophiæ, & de Primis Sapientibus,

- CAP.** 1. **D**e Philosophiæ Definitione, & Divisione.
 2. **D**e Philosophiæ Etymo, Origine, & Fine.
 3. **D**e Philosophiæ Inventoribus, seu de Primis Sapientibus.
 4. **D**e Philosophiæ ab Adam usque ad Abram Progressu.
 5. **D**e Abram, ejusque Philosophia, aliisque usque ad Mosen.
 6. **D**e Mose, Salomone, eorumque Philosophia.

L I B E R II.

De Philosophia Barbarica, ejusque Sectis.

- CAP.** 1. **D**e Hebreis, eorumque Sectis.
 2. **D**e Chaldæis, eorumque Sectis.
 3. **D**e Persarum Philosophia, & Sectis: & de Sabæis.
 4. **D**e Sectis Indorum.
 5. **D**e Sinensium Sectis; & primò de Confutio, & Xaca.
 6. **D**e Phœnicum Philosophia.
 7. **D**e Ægyptiorum Philosophia.
 8. **D**e Philosophia Æthiopica, & Libycæ.
 9. **D**e Philosophia Scytharum, Thracum, & Gallorum.

L I B E R III.

De Philosophia Græcanica.

- CAP.** 1. **D**e Philosophia Mythica.
 2. **D**e iis, qui Sapientes dicebantur.
 3. **D**e Secta Jonica.
 4. **D**e Academia Veteri.
 5. **D**e Academia Media.
 6. **D**e Academia Nova.
 7. **D**e Reliquis Academiis, & Academicis.
 8. **D**e Philosophis Peripateticis.
 9. **D**e Philosophis Cynicis.

10. De Philosophis Stoicis.
11. De Secta Italica.
12. De Secta Heraclitea.
13. De Secta Eleatica.
14. De Secta Sceptica.
15. De Secta Epicurea.
16. De Secta Eclectica.

LIBER IV.

De Philosophis Recentioribus.

- CAP. 1. **D**E Philosophis Romanorum.
2. De Pythagoricis Recentioribus.
 3. De Platonicis, & Academicis.
 4. De Philosophis Cynicis.
 5. De Philosophis Stoicis.
 6. De Philosophis Peripateticis. Ubi de Scholasticis omnis etatis.
 7. De Antischolasticis, & Antiperipateticis.
 8. De Philosophis Eclecticis.
 9. De Philosophis Chymicis. Ubi de Chymia.
 10. De Philosophis Mathematicis.
 11. De Philosophis Incertae Sectae, vel Novae Sectae non conspicuae Authoribus.
 12. De Epicureis Emendatis, sive Gassendistis.
 13. De Philosophis Cartesianis. Ubi Philosophiae Cartesiana Epitome.

Appendix Παραλεπομένων, sive Philosophorum Prætermissorum.

IN-



INDEX PHILOSOPHORUM.

| A | Ammonius, Hermiae filius | 168 |
|---|--------------------------|--|
| <i>Braham. Ejus Philosophia, & Virtutes</i> | <i>pag. 10</i> | 169 |
| <i>Abumaron.</i> | 293 | 288 |
| <i>Academia Gallica; & Academia Regia Scient. Parisienses</i> | 454 | 74 |
| <i>Academie universi Orbis</i> | 449 | ib. |
| <i>Acbilles Statio, Lusit.</i> | 453 | 182 |
| <i>Adam</i> | 7 | 151 |
| <i>Adraſtus, Peripat.</i> | 456 | Andreas Adamus Hochſetterus |
| <i>Ædeſta</i> | 168 | 345 |
| <i>Ædeſus</i> | ib. | Andreas Resendius, Lusit. |
| <i>Ægidius Columna, Romanus</i> | 304 | 453 |
| <i>Ægyptiorum Philosophia. Sapientes, seu Sacerdotes</i> | 50 | Andronicus Rhodius |
| <i>Æneas Gaza</i> | 271 | 229 |
| <i>Æſchines</i> | 82 | Angelus Cesi, Dux Aquæ Spartæ |
| <i>Æſopus, Philosopher Phryx</i> | 61 | 335 |
| <i>Æthiopica, & Libyca Philosophia</i> | 54 | Angelus Politianus, sive Bassus |
| <i>Agapius</i> | 169 | 220 |
| <i>Albertus Magnus</i> | 298 | Anicius Manlius Torquatus Severinus |
| <i>Albumazar, sive Alboasar</i> | 294 | Boëthius |
| <i>Alcmeon</i> | 138 | 321 |
| <i>Alexander de Ales</i> | 298 | Anniceris |
| <i>Alexander Ægæus, & Aphrodisensis</i> | 230 | 85 |
| <i>Alexander Achillinus</i> | 322 | Antiochus |
| <i>Alexander Piccolomineus</i> | 333 | 100 |
| <i>Alexander Trallianus</i> | 355 | Antiochus Ascalonita |
| <i>Alexandrini; & aliæ ſectæ minoris note</i> | 28 | 189 |
| <i>Alexinus</i> | 87 | Antipater |
| <i>Alfraganius</i> | 294 | 124 |
| <i>Alfred</i> | 305 | Antiphenes |
| <i>Alphabarius, Magnus dictus</i> | 294 | 111 |
| <i>Algazel</i> | 293 | Antonius Andreas |
| <i>S. Ambroſius</i> | 267 | 308 |
| | | Antonius Arnoldus |
| | | 446 |
| | | Antonius Galateus |
| | | 389 |
| | | Antonius Goveanus, Lusit. |
| | | 328 |
| | | Antonius le Grand |
| | | 447 |
| | | Antonius Mizaldus, sive Mizault |
| | | 393 |
| | | Antonius Montecatinus |
| | | 341 |
| | | Antonius Studita |
| | | 458 |
| | | Antoninus, Sosipatræ filius |
| | | 168 |
| | | Apollonius, Sen. Rom. & Apollonius Chalcidenis |
| | | 199 |
| | | Apollonius Cronus |
| | | 88 |
| | | Apollonius, Nissenus. |
| | | 456 |
| | | Apollonius Tyaneus |
| | | 260 |
| | | Archelaus |
| | | 76 |
| | | Architas |
| | | 138 |

| | | | |
|--|-----|---|-------------|
| <i>Arceſtlaus</i> | 97 | <i>Bion</i> | 86 |
| <i>Ardenti, Acad. Neap.</i> | 454 | <i>Boēthius Sidonius</i> | 288 |
| <i>Arias, Augustinus, & Emmanuel Bar-</i> | | <i>S. Bonaventura</i> | 304 |
| <i>bosa, Lusit.</i> | 453 | <i>Bonaventura Belluto</i> | 310 |
| <i>Aristides</i> | 198 | <i>Bonifacius de Marinis</i> | 306 |
| <i>Aristippus</i> | 83 | <i>Bonzii, Taoſſi</i> | 45 |
| <i>Ariſto</i> | 110 | <i>Brachmanes; & eorum doctrina</i> | 38 |
| <i>Aristobulus, Peripat.</i> | 456 | <i>Buddes; & Manes</i> | 39 |
| <i>Aristocles, Perip. & Aristocles Lampſa-</i> | | <i>Burckhard. Gotthelff. Struvius</i> | 334 |
| <i>cenus</i> | ib. | | |
| <i>Aristoteles</i> | 101 | | C |
| <i>Aristoxenus, Aristotelis discip.</i> | 455 | <i>Cæſar Cremonini</i> | 339 |
| <i>Arrianus</i> | 219 | <i>Cain, Jabel, Jubal, Tubalcain</i> | 8 |
| <i>Arnoldus Villanova</i> | 364 | <i>C. Aurelius Cotta</i> | 184 |
| <i>Artephius</i> | 377 | <i>C. Cassius</i> | 241 |
| <i>Arzabel, Hispanus</i> | 294 | <i>C. Memmius</i> | ib. |
| <i>Asclepiodotus</i> | 168 | <i>C. Musonius Rufus</i> | 221 |
| <i>Asclepius Trallianus</i> | 354 | <i>C. Sergius Orata</i> | 241 |
| <i>Athanafius Kircherus</i> | 384 | <i>C. Vellejus</i> | 234 |
| <i>Athenagoras</i> | 199 | <i>Calid</i> | 377 |
| <i>Athenæus</i> | 229 | <i>Calixtus Andronicus</i> | 320 |
| <i>Athenodorus Tarsensis</i> | 204 | <i>Callani, Indorum Philosophi</i> | 40 |
| <i>Averrhoës</i> | 292 | <i>Carneades, Cyrenæus</i> | 99 |
| <i>S. Augustinus</i> | 266 | <i>Carneades, Cynicus</i> | 283 |
| <i>Augustinus Niphus</i> | 320 | <i>Caspar Zeumerus</i> | 344 |
| <i>Avicenna</i> | 291 | <i>Caspar Mauritus</i> | 341 |
| <i>Aureolus—Philippus—Theophrastus—</i> | | <i>Catus</i> | 234 |
| <i>Bombast—Paracelsus.</i> | 365 | <i>Cato Uticensis</i> | 205 |
| | | <i>Cebes, Thebanus, Socratis discip.</i> | 456 |
| | | <i>Celsus</i> | 241 |
| | | <i>Chaldæi. Eorum Sectæ, Doctrina,</i> | |
| | | <i>&c.</i> | 29 |
| B | | <i>Chæremos</i> | 284 |
| <i>Altbasar Beckerus</i> | 395 | <i>Cbius</i> | 241 |
| <i>Barbari, & Barbarica Philoſo-</i> | | <i>Cbilo</i> | 67 |
| <i>phia</i> | 19 | <i>Chosroës, Persarum Rex</i> | 272 |
| <i>Bartholomæus Maſtrio</i> | 310 | <i>Christophorus Drejerus</i> | 341 |
| <i>Basilides Scyrbopolita</i> | 227 | <i>Christophorus Schradenus</i> | 344 |
| <i>S. Basilius Magnus</i> | 388 | <i>Christophorus Wolfius</i> | 346 |
| <i>Basilius Valentinus</i> | 371 | <i>Chrysanthius Sardianus</i> | 168 |
| <i>Belus, secundus Chaldæorum Philoſo-</i> | | <i>Chrysippus</i> | 123 |
| <i>phus</i> | 30 | <i>Chymia. Origo, Doctrina, &c.</i> | 360 |
| <i>Benchora</i> | 294 | <i>Claudius Galenus</i> | 197 |
| <i>Benedictus Pererius</i> | 336 | <i>Claudius Perraultius; ejusque Fra-</i> | |
| <i>Benedictus de Spinoza</i> | 394 | <i>tres</i> | 386 |
| <i>Beribitar</i> | 293 | <i>Cleanthes</i> | 122 |
| <i>Bernardinus Telesius</i> | 348 | <i>Clemens Alexandrinus</i> | 169 |
| <i>Bernardinus Tomitanus</i> | 330 | <i>Cleobulus</i> | 66 |
| <i>Berosus, Chaldaicæ Philosophicæ Scri-</i> | | <i>Chimonius Langley</i> | 378 |
| <i>ptor</i> | 30 | <i>Clitomachus</i> | 100 |
| <i>Beroſi filia, Babylonica Sibylla dicta,</i> | | <i>Comes Trevisanus</i> | 377 |
| <i>Cumis habitans</i> | ib. | | |
| <i>Bessarion Cardinalis</i> | 274 | | Nnn |
| <i>Bias</i> | 63 | | Con- |

| | |
|--|-----|
| <i>Confutius, Sinensium Philosophorum Princeps</i> | 41 |
| <i>Conradus Aslacus</i> | 341 |
| <i>Conradus Samuel Schurtzleischius</i> | 345 |
| <i>Cordemoy</i> | 448 |
| <i>Cornelius Celsus</i> | 242 |
| <i>Cornelius Martini</i> | 341 |
| <i>Cosmopolita</i> | 377 |
| <i>Crates, Atheniensis</i> | 96 |
| <i>Crates, Thebanus</i> | 115 |
| <i>Cratippus</i> | 456 |
| <i>Crito</i> | 82 |
| <i>Critolaus</i> | 110 |
| <i>della Crusca, Acad. Florent.</i> | 454 |
| <i>Cyriacus Strozzi.</i> | 341 |

D

| | |
|--|------------|
| D amascius Damascenus | 169. & 286 |
| Damianus de Goëz, Lusit. | 453 |
| Damon, Pythagoræ discip. | 456 |
| Daniel ex Secta Rechabitarum | 23 |
| Daniel Heinlius | 359 |
| Daniel Omeisius | 345 |
| Daniel Sennertus | 384 |
| David de Dinanto | 395 |
| David Gregorius | 388 |
| Deipniz | 458 |
| Demetrius, & Isidorus, Cynici. | 204 |
| Demetrius Phalereus | 456 |
| Democritus | 146 |
| Demonax | 345 |
| Diagoras, Democriti discip. | 456 |
| Dicearchus Messenius, Aristotelis discipulus | ib. |
| Diceneus, Philosopher Egyptius | ib. |
| Didymus Alexandrinus | 288 |
| Dio Chrysostomus | 258 |
| Diodorus | 88 |
| Diodotus | 110 |
| Diogenes, Cynicus | 112 |
| Diogenes junior | 204 |
| Diogenes Laertius | 399 |
| Diogenes, Stoicus | 124 |
| Dion, Syracusanus | 455 |
| S. Dionysius Areopagita | 262 |
| Dominicus Sotus | 320 |
| Domninus, Syrus | 168 |
| Druidæ, Gallorum Philosophi | 56 |
| Durandus à S. Porciano | 310 |

| | |
|--|--------|
| E | |
| Dmundus Dickinsonus | 341 |
| Emmanuel Alvarez, Lusit. | 453 |
| Emmanuel Magnanus | 458 |
| Empedocles | 136 |
| Enoch | 8 |
| Epicarmus | 138 |
| Epidetus | 218 |
| Epicurus | 152 |
| Epimenides | 68 |
| Ernestus Salomon Cyprianus | 345. & |
| 392 | ib. |
| Ernestus Sonerus | 341 |
| Essæi, sive Essenti | 23 |
| Evaphenus | 259 |
| Eubulides | 87 |
| Euclides | ib. |
| Eudoxus | 139 |
| Eulalius | 169 |
| Eunapius | 168 |
| Eupbantus | 88 |
| Euphrates | 285 |
| Eusebius Myndius | 168 |
| Eustathius | ib. |
| F | |
| Fabius Pacius | 337 |
| Fantastici. Acad. Rom. | 454 |
| Favorinus | 228 |
| Flaccus Albinus Alcuinus | 289 |
| Franciscus Baconus à Verulamio | 283 |
| Franciscus Bernier | 402 |
| Franciscus Gregorius Venetus | 341 |
| Franciscus de Maironis | 309 |
| Franc. Mercurius van Helmont, J. B. | |
| filius | 374 |
| Franciscus Pavoni | 338 |
| Franciscus Philelphus | 314 |
| Franciscus Patricius | 280 |
| Franciscus Piccolomineus | 333 |
| Franciscus Piccolomineus Soc. J. | ib. |
| Franciscus Soarez, sive Suarez, Lusit. | 452 |
| Franciscus Toletus, Card. Soc. J. | 332 |
| Franciscus Vallesius | 458 |
| Fratres Roseæ Crucis | 375 |
| Federicus Bonaventuræ | 390 |
| G | |
| Abriel Biel | 312 |
| Gabriel à Costa, Lusit. | 452 |
| Gabriel Naudæus | 345 |
| Gali- | |

| | | | |
|---|-----|---|-----|
| <i>Galileus Galilei</i> | 381 | <i>Hermes Trismegistus</i> | 12 |
| <i>Gebber</i> | 294 | <i>Hermias</i> | 267 |
| <i>Georgius Agricola</i> | 326 | <i>Hermias, Alexandrinus</i> | 168 |
| <i>Georgius Ariminensis</i> | 341 | <i>Hermannus Conringius</i> | 341 |
| <i>Georgius Gemistus</i> | 275 | <i>Hermippus Smyrnaeus</i> | 456 |
| <i>Georgius Pascius</i> | 345 | <i>Hermolaus Barbarus</i> | 318 |
| <i>Georgius Riplajus</i> | 372 | <i>Herodiani</i> | 28 |
| <i>Georgius Scholarius, Gennadius</i> | 323 | <i>Hesiodus</i> | 60 |
| <i>Georgius Trapezuntius</i> | 233 | <i>Hierius, Plutarchi filius</i> | 168 |
| <i>Gerardus Job. Vossius</i> | 334 | <i>Hierocles</i> | ib. |
| <i>Germanes, & Hylobii, Indorum Philosophi.</i> | 38 | <i>Hierocles, tres</i> | 271 |
| <i>Gilbertus, dictus Porreta</i> | 296 | <i>S. Hieronymus</i> | 355 |
| <i>Glauco</i> | 83 | <i>Hieronymus Cardanus</i> | 323 |
| <i>Gomitius Pereira</i> | 439 | <i>Hieronymus Oleaster, Lusit.</i> | 453 |
| <i>Gottfrid. Olearius</i> | 344 | <i>Hieronymus Oforius, Lusit.</i> | ib. |
| <i>Gottlibius Fridericus Jenichenius</i> | ib. | <i>Hieronymus Savanarola</i> | 319 |
| <i>Gottofridius Arnoldus</i> | 346 | <i>Hipparchia</i> | 116 |
| <i>G. J. 's Gravesande.</i> | 387 | <i>Hippasus</i> | 139 |
| <i>S. Gregorius Nazianzenus</i> | 389 | <i>Hoffmannus</i> | 448 |
| <i>S. Gregorius Nissenus</i> | 357 | <i>Homerus, Mæthicae Philosophiae primus Doctor</i> | 60 |
| <i>S. Gregorius Thaumaturgus</i> | 171 | <i>Horus Ægyptius. Horus Ægypti Rex.</i> | |
| <i>Grenet</i> | 458 | pag. | 283 |
| <i>Gualtherus Burles</i> | 311 | <i>Humoristi, Acad. Rom.</i> | 454 |
| <i>Gulielmus Gilbertus</i> | 382 | <i>Hydaspes</i> | 34 |
| <i>Gulielmus Occam</i> | 310 | | |
| <i>Gulielmus Xylander</i> | 331 | | |
| <i>Gymnosophistæ, Indorum Philosophi</i> | 38 | | |

H

| | |
|--|-----|
| <i>H Aly</i> | 294 |
| <i>Hartsoëckr</i> | 458 |
| <i>Hebræi, qui etiam Judæi, & Israëli-tæ dicti</i> | 19 |
| <i>Hegeſianax, Polyzenus, Theomnestius, & Xanthippus</i> | 284 |
| <i>Hegeſias, & Hegeſiaci</i> | 85 |
| <i>Hegeſias, Marino in Schola successor</i> | 169 |
| <i>Heliodorus, Hermiae filius</i> | 168 |
| <i>Hellenistæ</i> | 28 |
| <i>Helvidius Priscus</i> | 210 |
| <i>Henricus Cornelius Agrippa</i> | 273 |
| <i>Henricus Gandavensis</i> | 306 |
| <i>Henricus Julius Scheurlius</i> | 345 |
| <i>Henricus Morus</i> | 341 |
| <i>Henricus Regius</i> | 446 |
| <i>Heraclitus</i> | 140 |
| <i>Heraclitus, Cynicus</i> | 283 |
| <i>Heraclitus, Tyrius</i> | 262 |
| <i>Herennius</i> | 167 |

| | |
|--|-----------|
| <i>Jacob</i> | 12 |
| <i>Jacobus Baiva, Lusit.</i> | 453 |
| <i>Jacobus, & Job. Bernoulli, fratres</i> | 448 |
| <i>Jacobus Bobmius</i> | 371 |
| <i>Jacobus Faber</i> | 321 |
| <i>Jacobus Hermannus</i> | 388 |
| <i>Jacobus Mazzonius</i> | 358 |
| <i>Jacobus Robaultius</i> | 447 |
| <i>Jacobus Skekius</i> | 340 |
| <i>Jacobus Tevius, Lusit.</i> | 452 |
| <i>Jacobus Thomasius</i> | 340 |
| <i>Jacobus, & Julius Zabarella</i> | 330 |
| <i>Jamblicus</i> | 167 & 355 |
| <i>Japonii, & Tapujani; & eorum doctrina</i> | |
| <i>Indorum Sectæ, & Philosophi</i> | 38 |
| <i>Intronati, Acad. Sen.</i> | 454 |
| <i>Joachimus Peronius</i> | 334 |
| <i>Job, Arabs, vel Idumæus</i> | 13 |
| <i>Job. Albertus Fabricius</i> | 345 |
| <i>Job. Alphonsus Borellus</i> | 385 |
| <i>Job. Amos Comenius</i> | 341 |
| <i>Job. Andreas Schmidius</i> | 345 |
| <i>Job. Argyrophilus</i> | 315 |

N n n 2

Job.

| | | | |
|---|------------|---|------------|
| <i>Job. Augustinus Pantheus, Venetus pag.</i> | 377 | <i>Josue, & Samuel ex 70. Senibus Israël</i> | 17 |
| <i>Job. Aurelius Augurellus</i> | 372 | <i>Isaac</i> | 12 |
| <i>Job. Bacontborpius</i> | 312 | <i>Isaac Narbonensis</i> | 293 |
| <i>Job. Baptista Fragosus, Lusit.</i> | 453 | <i>Isaacus Newton</i> | 387 |
| <i>Job. Baptista à Porta</i> | 382 | <i>Julianus Apostata</i> | 168. & 256 |
| <i>Job. Baptista van Helmont</i> | 373 | <i>Julius-Cæsar Lagalla</i> | 393 |
| <i>Job. Bayerus</i> | 341 | <i>Julius-Cæsar Scaliger</i> | 325 |
| <i>Job. Bochardus</i> | 313 | <i>Julius Pacius</i> | 336 |
| <i>Job. Burckhardus Menckenius</i> | 344 | <i>Julius-Caspar Sebastianus, alias Vaninus</i> | 344 |
| <i>JOH. V. Lusitaniae Rex, &c.</i> | 388 | <i>S. Justinus Martyr</i> | 201 |
| <i>JOH. III. Lusitaniae Rex, &c.</i> | 452 | <i>Justus Lipsius</i> | 286 |
| <i>JOH. XXI. Lusit. Pont. Max.</i> | 303 | | |
| <i>Job. Camillus Gloriosus</i> | 381 | | |
| <i>Job. Case, sive Casæus</i> | 327 | | |
| <i>Job. Chrysostomus Magnenius, Professor Papiensis</i> | 461 | L <i>Actantius Firmianus</i> | 171 |
| <i>Job. Christophorus Sturmius</i> | 448 | <i>Lacydes</i> | 98 |
| <i>Job. Clericus</i> | 394 | <i>Lambertus Daneus</i> | 341 |
| <i>Job. Crellius</i> | 341 | <i>Lanfrancus</i> | 296 |
| <i>S. Job. Damascenus</i> | 296 | <i>Laurentius Valla</i> | 347 |
| <i>Job. Duns Scotus</i> | 307 | <i>Leucippus</i> | 146 |
| <i>Job. à Felden</i> | 341 | <i>Leo Allatius</i> | 388 |
| <i>Job. Franciscus Buddeus</i> | 343 | <i>Leo Byzantius, Platonis discip.</i> | 454 |
| <i>Job. Franciscus Picus Mirandulanus pag.</i> | 280 | <i>Leo Isaurianus</i> | 458 |
| <i>Job. Freitagius</i> | 374 | <i>Leonardus Brunus</i> | 321 |
| <i>Job. Fridericus Mayerus</i> | 346 | <i>Libertus Fromondus</i> | 341 |
| <i>Job. Fridericus Schopfius</i> | 345 | <i>Lincei, Acad. Rom.</i> | 454 |
| <i>Job. Garnier</i> | 339 | <i>L. Annaeus Seneca</i> | 211 |
| <i>Job. Georgius Niemejerus</i> | 345 | <i>L. Apulejus</i> | 263 |
| <i>Job. Jacobus Mullerus</i> | 344 | <i>L. Cestius Smyrnaeus</i> | 239 |
| <i>Job. Jacobus Syrbius</i> | ib. | <i>L. Licinius Lucullus</i> | 190 |
| <i>Job. Isaacus Hollandus</i> | 371 | <i>L. Manlius Torquatus</i> | 242 |
| <i>Job. Keill</i> | 387 | <i>L. Saufejus</i> | 211 |
| <i>Job. Ludovicus Vives</i> | 346 | <i>L. Thorius Balbus Lanuinus</i> | 241 |
| <i>Job. Mauritus Schrammius</i> | 344 | <i>Lucianus</i> | 237 |
| <i>Job. Mesue</i> | 294 | <i>Ludovicus de Beaufort</i> | 341 |
| <i>Job. Philoponus</i> | 169 | <i>Ludovicus Buccaferræi</i> | 323 |
| <i>Job. Picus Mirandulanus</i> | 277 | <i>Ludovicus de la Forge</i> | 448 |
| <i>Job. Reuchlinus</i> | 341 | <i>Ludovicus Septala</i> | 329 |
| <i>Job. de Rupeſcissa</i> | 371 | <i>Ludovicus Léſclache</i> | 393 |
| <i>Job. Serapion</i> | 294 | <i>Ludovicus Regius, sive Ros</i> | 389 |
| <i>Job. Scotus Eriugena</i> | 290 | <i>Lycius</i> | 168 |
| <i>Job. Setonus</i> | 240 | <i>Lycon</i> | 110 |
| <i>Job. Schilterus</i> | 345 | | |
| <i>Job. Sperlingius</i> | 375 | | |
| <i>Job. Stobæus</i> | 355 | | |
| <i>Job. Zeifoldus</i> | 341. & 375 | M <i>Acrobius</i> | 268 |
| <i>Jordanus Brunus</i> | 377 | <i>Machometes Aratensis, sive Albagrenius Arabs</i> | 294 |
| <i>Joseph, Jacobi filius</i> | 12 | <i>Mahumet Toletinus</i> | ib. |
| | | <i>Magi. Eorum munus, doctrina, bonos, &c.</i> | 33 |
| | | <i>Man-</i> | |